821.1-3 47

ORATIO
MARTINI EPISCOPI SECCOVIENSIS,

Habita

AD REVERENDISSIMVM

Sereniſsimumque Principem ac Dominum, Dominum LEOPOLDVM, Archiducem Auſtriæ, Ducem Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, & Carniolæ, &c. perantiquæ Paſſauienſis Eccleſiæ Epiſcopum, & Argentinenſis Antiſtitis Coadiutorem, cùm Grætij Styriæ in templo S. Ægidij, Anno M. D. X C V I. die S. Ioanni Baptiſtæ ſacra, ſub ſolemni Miſſæ officio, Clericorum Ordinibus, vt vocant, minoribus initiaretur.

BIBLIOTEC... 1872

2. Timoth. 1.

Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum.

GRÆCII,
Excudebat Georgius Widmanſtadius,
M. D. C I.

Auſtriadæ terras, Diuûm Leopolde medullæ
Jmperio cœlum Præſul, vtrunq; premis.
Admiſiſſe tuo, te Præſule, ſanguine natos
Creditur Archiduces ad ſua ſceptra Deus.



Semidei cœlo caput inuectate Toparchæ:
Vertice ſtelliferas Auſtria tange domos.
Jmperium non iam diuiſum Numen habebit:
Vobiſcum cœlo iura, mariq; dabit.

REVERENDISSIMO, SERENISSIMOQVE PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO LEOPOLDO, Archiduci Auſtriæ, Duci Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, &c. Epiſcopo PASSAVIENSI, & Coadiutori ARGENTINENSI.

MARTINVS EPISCOPVS SECCOVIENSIS,

Omnem fœlicitatem.

NVLlum omnino mihi dubium eſt, Reuerendiſs: Sereniſſimeq; Princeps, quin recenti teneas memoria, cùm quatuor abhinc annis Græcij in æde D. Aegidij, ſolemnis Miſſæ ſacrificij tempore, ordines (vt vocant) Minores, à me accepiſſes, orationem habuiſſe me; qua oratione partim oſtendi, quibus Eccleſiaſticæ militiæ Tyronem moribus eſſe præditum oporteat, quoue ſe modo in Dei Eccleſia gerere; partim etiam tibi ſum ex animo gra-

tulatus, DEVM Opt. Max. bonorum omnium auctorem obteſtans, vt id, quicquid erat in te honoris noui collatum, redundaret in eius gloriam, atque in tuam ſalutem, totiusque Auguſtiſsimę familiæ Auſtriacæ perpetuam felicitatem. Quamuis autem eam ipſam tum orationem non eo conſilio, vel conſcripſeram, vel habueram, vt typis expreſſa prodiret in publicum, iſtud tamen ipſum permulti homines, quorum apud me valet auctoritas plurimum, non optârunt modò votis omnibus, ſed etiam ſæpius popoſcerunt, atq; adeò flagitârunt. Quorum petitioni iam pridem fortè ſatisfeciſſem, niſi negotijs ſanè multis & grauibus impeditus fuiſſem. Primùm enim Sereniſsimi fratris tui, Principis mei clementiſsimi, Archiducis FERDINANDI iuſſu, Viennam Auſtriæ; deinde Ratiſponam ad Comitia; porrò Monachium Bauariæ cum mandatis profectus ſum; ac demùm in-

tegrum

tegrum annum præteritum circa Religionis reformationem in duabus ſuæ Serenitatis Prouincijs, Styria & Carinthia occupatus, conſumpſi. Quibus laboribus atq; muneribus perfunctus, tandemqué domum reuerſus, ad priſtinum me penſum reuocaui; multis eam ipſam orationem locis, rebusqué nouis locupletaui, quæ propter ſummam temporis breuitatem, quo die magnificentiſsimo cæremoniarum apparatu inaugurabaris, dici non potuerunt. Vſurpaui præterea nō paucas ſententias, è ſacrarum literarum monumentis, ſanctorumqué Patrum libris depromptas, vt ijs tanquam floribus lectiſsimis, lectoris animus voluptate maiore perfunderetur. Hanc porrò orationem ita mutatam & auctam, cui iuſtius, quàm tibi, Sereniſsime Princeps, dedicem, habeo neminem; cum tua ſit, vtpote tuo nomine non compoſita modò, & ſcripta, ſed etiam in ſpectatiſsimo, ſplendidiſ-

ſimoque conſeſſu dicta & perorata. Accipe igitur, Princeps Sereniſsime, munuſculum hoc, officij & obſeruantiæ erga te meæ certiſsimum pignus. In ea ſpe ſum fore, vt ſi labor hic meus tibi probetur, cæteris etiam doctis, & communis boni amantibus haudquaquã diſpliceat. Certè quidem ex eo clerici præſertim tui, quibus ſine dubio volens ac lubens commendabis, haud mediocrem vtilitatis fructum ex eo percipere poterunt. Nimirum velut in ſpeculo videbunt, quanta ſit clericorum dignitas, quid ipſi ſequi, quid vitare, quas curas & cogitationes animo voluere debeant, vt rectè ſuo fungi officio queant. Vale Præſulum Decus, Auſtriacæq; familiæ ornamentum ſingulare. Ex Reſidentiæ meæ arce Segga ſupra Leibniz, in ipſo trium Regum feſto, Anno M. D. C I.

ORA-

ORATIO.

IN Sacroſancta Eccleſia Dei, Archidux Leopolde, Princeps Sereniſſime, is mos per quam laudabilis inualuit, eaq; fuit, apud Catholicos & Orthodoxos Epiſcopos ſemper recepta, diuturnoq; vſu approbata, hodieq; conſeruata conſuetudo, vt ſi quos ſacris clericorum ordinibus inſignirent, & ſacro Religionis habitu indutos in ſtatum cooptarent Eccleſiaſticum, eoſdem tamquàm filios chariſſimos, de quibuſdam rebus, quæ ad eorum vitam piè, ſanctè, religioſeq; inſtituendam & tranſigendam facere viderentur, paternè, beneuoleq; commonefacerent. Qua in re, meo iudicio, imitati ſunt ſanctiſſimos illos veteris Teſtamenti Patres, de quibus ſacra paſſim commemorat ſcriptura, quàm illi pijs, quàm ſanctis, & quàm vtilibus præceptis, inſtitutisq; filios ſuos ſemper imbuerint, & ad præclaras virtutes, quibus itur ad aſtra, ſint adhortati. Ex quibus imprimis nobis exemplo eſt, Tobias vir Dei, patientiæ virtute probatiſſimus, qui filios ſuos hiſce verbis ad pietatem erudiuit: *Audite filij mei patrem veſtrum, ſeruite Domino in veritate, & inquirite vt faciatis, quæ placita ſunt illi, & filijs veſtris mandate, vt faciant iuſtitias & Elemoſinas, vt ſint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore, in veritate, & in tota virtute ſua.* Sic Regius Propheta Dauid ex hac ad cœleſtem migraturus vitam, quæ præcepta Salomoni filio ſuo dederit, ipſius verba declarant: *Ecce,* inquit, *ego ingredior viam vniuerſæ terræ. Confortare, & eſto vir fortis, & obſerua, vt cuſtodias mandata Domini Dei tui, vt ambules in vijs eius, & cuſtodias caremonias eius, & præcepta eius, & iudicia, & teſtimonia, ſicut ſcriptum eſt in lege Moſis.* Matathias porrò ille Machabæus, heros fortiſſimus, obſecro

Tob. 4.

3. Reg. 2.

audia-

audiamus, vti vitam cum morte commutaturus, filios quoq́; ſuos ad conſtantiam, animiq́; fortitudinem excitârit, inflammâritq́;. *Nunc ergo,* alloquitur illos, *filij mei,*
1.*Mach.* 2. *æmulatores eſtote legis, & date animas veſtras pro teſtamento patrum veſtrorum, & mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus ſuis, & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum. Abraham nonne in tentatione inuentus eſt fidelis, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam? Ioſeph in tempore anguſtiæ ſuæ cuſtodiuit mandatum, & factus eſt Dominus Ægypti. Phinees pater veſter, Zelando Zelum Domini, accepit teſtamentum ſacerdotij æterni. IESVS dum impleret verbum, factus eſt Dux in Iſrahel. Caleb dum teſtificatur in Eccleſia, accepit hæreditatem. Dauid in ſua miſericordia, conſecutus eſt ſedem regni in ſæcula. Elias dum Zelat Zelum legis, receptus eſt in cœlum. Ananias & Azarias & Miſahel credentes, liberati ſunt de flamma. Daniel in ſua ſimplicitate liberatus eſt de ore leonum. Et cogitate per generationem & generationem, quia omnes qui ſperant in eum, non infirmantur. Vos ergo, ô filij, confortamini & viriliter agite in lege, quia in ipſa glorioſi eritis.* O verè Cygneas voces. Sed propius ad rem facit, quod Diuus Paulus, magnus Doctor gentium, in ſuis ad Titum Timotheumq́; à ſe ordinatos ac conſecratos Epiſcopos, ſcripſit Epiſtolis. In quibus, quid aliud tantopere agit, laborat, contendit, quàm vt Apoſtolici ſui officij ſint memores, nemini citò manus imponant, verbum Dei oportunè & importunè prædicent, hoſpitalitatis iura cuſtodiant, miſericordiam, conſtantiam, magnanimitatem, cæterarumq́; virtutum in ſe omnium imaginem ac veluti choream exprimant, & vitam viris Apoſtolicis dignam traducant? Cùm itaq; tu, Sereniſſime Leopolde, hodierna die, in hoc ſacro templo, ſub hoc ſolemni Miſſæ ſacrificio à me Epiſcopo clericatus corona, quatuorq́; ordinibus [vti vocant] minoribus initiatus inſignitusq́; ſis, idipſum, quod cùm apud antiquos illos veteris, tum noui teſtamenti Patres, & Eccle-

ſiæ Ca-

ſiæ Catholicæ antiſtites vſitatiſſimum fuit, mihi quoq; faciendum eſſe, & ratio ſuadet, & exempla inuitant. Et licet mihi nihil debeat eſſe antiquius, quam quæ à maioribus noſtris piè religioſeq; inſtituta ſunt, quàm diligentiſſimè obſeruare, tamen & te atq; adeò hoſce omnes Sereniſſimos, Reuerendiſſimos, Nobiliſſimosq; auditores, veniam mihi facilè conceſſuros eſſe confido, ſi pauca quædam nomine meo, ad lætitiæ meæ magnitudinem declarandam, gratulabundus propoſuero, priusquàm ea, quæ officij mei publici ratio expoſtulat, in medium adducam. Quod ſi hac in re ab inſtituto, officioq; meo nonnihil declinare videbor, dum ſacris prophana, diuinis humana, Eccleſiaſticis polytica, publicis priuata antepono, excuſatus tamen haberi debeo, quod non longè poſt, in ſecunda nimirum Orationis meæ parte, muneri meo publico ſatis ſum facturus.

PVBLIVS Cornelius Scipio, qui ex virtute Aphricani nomẽ eſt adeptus, cùm ſibi ædilitatẽ petenti tribunos plebis videret obſiſtere, quod ei ad petendum nondũ legitima ætas eſſet, dixiſſe fertur: *Satis annorum habeo, ſi me Quirites habilem facere volunt.* Æterna ſanè commemoratione dignum eſt, quod nobiliſſimus Romanus de ſe tulit iuditium. Fretus namq; ſuis virtutibus, ante tempus, etiamnùm adoleſcens, magiſtratum à populo Romano, generoſo quodam animi inflammatus ardore petere non dubitauit. Verùm quod is ipſe, ætate quidem iuuenis, animo autem & virtute magnanimus heros, ad omnia ſumma natus, tanto cum populi domitoris gentium applauſu audacter de ſe pronunciauit, hoc ipſum de te, nos hic omnes, quotquot ſumus, & tibi de hac Eccleſiaſtici honoris acceſſione, geſtientes gratulamur, rectiſſimè, veriſſimeq; affirmare poſſumus. Licet namq; ſacris Pontificij iuris canonibus, maximè verò ſacroſancti Concilij Tridentini conſtitutionibus cautum mandatumq; *Ses. 23. cap. 6.*

ſit, vt nullus prima tonſura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus conſtitutus, ante decimum quartum ſuæ ætatis annum, beneficium aliquod Eccleſiaſticum obtinere poſſit; tu tamen in hac tua ætatula ſatis habes annorum, nihilq; eſt, quod iure in te deſiderari queat, quò ad beneficia, dignitatesq; Eccleſiaſticas eueharis, ſi modò te habilem facere volunt, penes quos eſt leges figere, & refigere: penes quos, inquam, eſt leges non tantùm interpretari, ſed etiam ſicubi Chriſtianæ Reip. vel neceſſitas, vel vtilitas poſtulauerit moderari. Ecquid autem eſt, aut quid vnquam in vllo fuit, vel naturæ vel gratiæ dotium, ob quas in Eccleſiæ legibus moderatione opus fuerit, vel Epicheîa, quod in te non cumulatiſſimè inueniatur? Ecquid item eſt vſpiam, quod ad conciliandas & deuinciendas hominum voluntates valeat, quin idipſum in te, omni ex parte reperiatur? nihil ego hic de ſumma, atq; antiquiſſima gentis tuæ, aut nobilitate, aut potentia dicam, quam ab Hercule vsq; & Priamo originem trahere ferunt. Nec in eo immorabor, vt enarrem, quanta ſit excellentia, quanta amplitudo, quantus ſplendor, quanta gloria, quanta authoritas, quanta Maieſtas duarum Auguſtiſſimarum tuarum familiarum, & Auſtriacæ & Bauaricæ, ex quibus quamplurimi generoſiſſimi Duces, Illuſtriſſimi Principes, fortiſſimi Archiduces, potentiſſimi Reges, inuictiſſimi Imperatores, Auguſtiſſimi Cæſares, Maiores tui, Parentes, Aui, proaui, abaui, ataui prodierunt, qui præclariſſimis facinoribus, diuinis virtutibus, ingentibus in Rempub. Rom. meritis, & rerum domi foriſq; fæliciſſimè geſtarum gloria, totum terrarum orbem compleuerunt. Hæc etenim omnia, etiam me tacente, ſunt ſuper æthera nota, longeq; maiora, diuinoraq;, quàm vt à me, licet vel Ciceronis vel Demoſthenis, imò vel ipſius Mercurij facundia mihi ſuppeteret, oratione non

dicam, exornari ſed vel enarrari poſſint. Quare ad ea, quæ tua ſunt propria, me recipio. Teipſum ego tantùm conſidero. Ingenium tuum, modeſtiam, integritatem, in latino eloquio promptam facundiam, cæterarumq; virtutum tuarum harmoniam & mores (vt Poëtæ loquuntur) aureos tuos, deniq; dotes illas omnes tuas, vel Dei potius, quæ in te veluti in cythara & concentu quodam angelico mirè conſentiunt, vt gemmæ relucent, vt purpurantes floſculi rutilant, ſuſpicio, & admiror, quæ omnia quaſi vernacula, & à natura ipſa tibi indita & inſita, ætatem tuam mirificè exornant. Quapropter in te rectè quadrare dixerim illud Sapientiſſimi Salomonis Elogium: *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neq; annorum numero computata, cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Sap. 4. Annum namq; ætatis tuæ decimum nondum es prætergreſſus, & tamen morum ſuauiſſimorum maturitate ita excellis, vt multos annorum numero ſenes, ſi vitæ ſtudium, ſi prudentiam, ſi in latinis literis eruditionem, ſi in conuerſatione dexteritatem commixtam humilitati, ſi ingenij vim & acrimoniam, ſi deniq; prælucentē quandam in rebus nonnullis tractandis & peragendis dexteritatem ſpectemus, longo poſt te interuallo relinquas. Quæ cùm in te animaduerterent duo illa ſumma huius mundi lumina, CLEMENS Papa, & RVDOLPHVS Imperator, eos tibi Eccleſiaſtici ſtatus honores detulerunt, vt eſſes, & Metropolitanæ Salisburg: & perantiquæ Paſſauienſis, Cathedraliū Eccleſiarū Canonicus. Non annis, non ætati hoc tribuentes tuæ, ſed bonæ indoli tuæ, optimis moribus tuis, egregijſq; virtutibus tuis, quarum tanta eſt apud omnes admiratio, vt cunctorum huius prouinciæ & procerum & populorum oculos in te conuerteris quàm maximè. Ea, quippe eſt virtutis vis, atq; indoles, vt in quo ſit, diu latere non poſſit. Infantiæ annis non exceſſeras, & iam præſtantiſſimus parens tuus, Archidux CA-

 ROLVS,

ROLVS, glorioſiſſimæ memoriæ, laudatiſſimus Princeps, tuarum virtutum igniculos, generoſamq; indolem in te præſenſit; quibus ille incenſus, iam tum firmiter conſtituit, te filiolum ſuum, delitias ſuas, diuinis dicare myſterijs, ſæpiusq; optauit, vt quamprimùm per ætatem liceret, in ſortem Domini vocatus, Eccleſiaſtico ſtatui addicereris. At neſcio quomodo Parentis tui optimi, viri ſapientiſſimi (quem pro ſalute prouinciarũ vtiliſſima cogitantem, ſaluberrimaq; parantem, prôh dolor, inuida mors,magno noſtro incommodo nobis eripuit) à me facta eſt mentio? quanta is, ſi iam nobiſcum hic in terris viueret, & te hac ſacra candidaq; veſte ornatum conſpiceret, exultaret lætitia? quanta,inquam,dulciſſimus Parens tuus,Princeps olim noſter benigniſſimus,& Pater Patriæ indulgentiſſimus, nunc verò cœleſtis paradyſi lumen & iubar preclariſſimum,voluptate perfunderetur,ſi te ordinis noſtri Eccleſiaſtici decus & ornamentum eximium,in hoc habitu religioſo ſedentem intueretur? Sed quid dico? vbi nam ſum? vbiue terrarum meæ nunc perigrinantur cogitationes? Quaſi verò ipſe in cœlis poſitus,ſempiternæq; fælicitatis particeps factus, te non videat? te non conſpiciat?non intueatur?Nam cùm preclariſſimus princeps de Rep. Chriſtiana optimè ſit meritus, vitam planè duxerit ſanctam,ſcelerisq; puram;iuſtitiam (quod munus proprium principum eſt) optimè adminiſtrauerit, & in omni ſua vita ita ſeſe geſſerit,vt maximum ſui deſiderium apud omnes reliquerit, quis in dubium vocet, eum ſanctorum numero, quos mirificè ſemper coluit, aſcriptum eſſe? quis ambigat eum vitam agere immortalem? quis neget animam illam puriſſimam inter ſpiritus cœleſtes æuum ducere,viſioneq; frui diuina? quod ſi,vti certò perſuaſum habemus,ita eſt,cur dubitemus illum ipſum & te & nobiliſſimum hunc cœtum, atq; adeò res cunctas, quæ circa nos ſunt, in æterno illo rerum omnium lucidiſ-

ſimo

ſimo ſpeculo, ſummo totius vniuerſi Architecto DEO, limpidiſſimis oculis intueri? Eos namq́;, qui mortali corpore exuti, cum Chriſto humanæ libertatis vindice in cœlis viuunt, quæ à Deo præpotente creata ſunt, ſcientia comprehendere, apud nos, qui Chriſtiano nomine cenſemur, dubium adeò nullum eſt, vt idipſum quoquè ex ſacrarum literarum monumentis, & ſanctorum Eccleſiæ Catholicæ patrum ſcriptis, luculentiſſimè ac diffuſiſſimè, ſi temporis anguſtia pateretur, commonſtrari poſſet. Ex multis autem locupletiſſimis, vnum aut alterum, ſolum huius rei lubet producere teſtem. Inprimis ergò prodeat in medium, magnus ille Gregorius Romanus Pontifex, familiæ Benedictinæ inſigne decus & ornamentum, & quid hac in re ſentiat, audiamus: *Quia Sancti omnes communi charitate Deum conſpiciunt, quid eſt, quod ibi neſciant, vbi ſcientem omnia ſciunt?* Et alio in loco: *Quid enim de his, quæ ſcienda ſunt neſciant, qui ſcientem omnia ſciunt.* Iterum alibi ſic ait: *Animæ ſanctæ, quia intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum eſt, quia foris ſit aliquid, quod ignorent.* Mellifluus ille Doctor, D. Bernardus explicans illud Apoſtoli: Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, &c. hanc eandem rem hiſce verbis confirmat: *Sanè hac ſcala ciues non egent, ſed exules: Quod vidit ipſe huius ſententiæ author, qui cùm diceret, Inuiſibilia per viſibilia conſpici, ſignanter poſuit, à creatura mundi. Et verè quid opus ſcalis tenenti iam ſolium? creatura cœli illa eſt, præſtò habens per quod potius iſta intueatur. Videt verbum, & in verbo facta per verbum, nec opus habet ex his quæ facta, factoris notitiam mendicari. Neq́; vt vel ipſa nouerit, ad ipſa deſcendit, quæ ibi illa videt, vbi longè melius ſunt, quàm in ſeipſis. Vnde nec medium requirit ad ea corporis ſenſum, ſenſus ipſa ſibi, ſeipſam ſentiens. Optimum videndi genus, ſi nullius egueris, ad omne quod noſſe libuerit, te ipſo contentus.* Adde his, quæ D. Auguſtinus libro de cura pro mortuis agenda habet, dilucidè edocens, qualiter ſancti res noſtras ſcire valeant. Ita ſcribit: *Poſſunt,* inquit, *ab eis, qui*

Lib. 4. dia. cap. 33.

Lib. 2. Ex. Moral. in Iob. cap. 3.

Li. 12. Mor. cap. 13.

Lib. 5. de conſid. ad Eug. Papā.

D. Aug. de

cura pro mor. cap. 5. *ſint ad eos moriendo pergunt: poſſunt & ab angelis, qui rebus, quæ hic aguntur, præſto ſunt: poſſunt & ſpiritu Dei reuelante cognoſcere, ſicut prophetæ, dum viuerent, cognoſcebant, quæ illis eſſe reuelanda Dei prouidentia indicarat: poſſunt* (addit capite ſexto) *& per diuinam potentiam viuorum rebus intereſſe.* Sanctus verò Hieronymus hoc ipſum aſtruit. Aduerſus enim Vigilantium, aſſerentem animas ſanctorum non poſſe ſuis tumulis, & vbi voluerint eſſe præſentes, ſic inuehitur: *Tu,* ait, *Deo leges pones? Tu Apoſtolis vincula iniicies, vt vſq; ad diem iudicij teneantur cuſtodia, nec ſint cum Domino ſuo? de quibus ſcriptum eſt, Sequuntur agnum quocunq; ierit. Si Agnus vbiq;, Ergo & hi qui cum agno ſunt, vbiq; eſſe credendi ſunt. Et cùm diabolus & dæmones toto vagentur orbe, & celeritate nimia vbiq; præſentes ſint, martyres poſt effuſionem ſanguinis ſui, arca operientur incluſi? & inde exire non poterunt?* Audiamus etiam Gregorium Naziazenum, qui diſertè aſſerit ſanctos videre ea, quæ apud nos aguntur.

Greg. Naz. oratione in Athanaſium. *Ab alto,* inquit, *rectè noui, res inſpicit noſtras, manumq; porrigit iis, qui laborant pro bono, & tantò amplius, quantò magis à vinculis eſt liberatus.* Addamus & D. Baſilium: *Reuereatur,* inquit, *ipſum*

Baſil. de virginitate. *ſponſum vbiq; præſentem, & huius patrem, & ſpiritum ſanctum. Et quid ſingula dico? Angelorum innumerabilem multitudinem, & cum his patrum ſanctos ſpiritus. Nullus enim horum eſt, qui nō vbique omnia videat.* Sed vt reuertatur, vnde deflexit Oratio.

Vident itaq; omnia, qui videntem omnia vident, & conſpicatur CAROLVS Pater tuus te Filium ſuum, & ſe hodierna die voti ſui factum eſſe compotem, in cœlis lætatur. Ex eodem beatarum mentium domicilio te diſpiciunt & intuentur lætabundæ ſorores tuæ, ELISABETHA & CATHARINA, lucidiſſima illa in cœlos illata ſydera, quæ ex humanis rebus importuna quadam & fatali neceſſitate exemptæ, virginitatis aureola (vt cum ſcholæ Doctoribus loquamur) ab omni omniū remuneratore Deo ſunt donatæ; quæ cùm prius maximis Principibus, potentiſſimiſq; Regibus, in ſponſas eſſent deſtina-

tæ, magno

tæ, magno ſuo comodo, nobiliſſimo ſponſo Chriſto Deo humanæ ſalutis inſtauratori, Regi Regum, Domino Dominantiũ, omnes totius orbis Reges pulchritudine, diuitijs, imperijs, potentia longè præcellenti, ſunt deſponſatę, & cum quadraginta illis virginum millibus, canticum nouum cantantes, agnumq́; ab origine mundi inſequentes, admirabili lætitia perfunduntur, cùm intelligant te fratrem ſuum chariſſimum, Eccleſiaſticę Saluatoris Chriſti militiæ hodierna die aſcriptum eſſe. Hi verò in terris tui, dulciſſima Mater, sereniſſimi Fratres, chariſſimæ Sorores, hunc tuæ inaugurationis actum ſua ſplendidiſſima præſentia cohoneſtantes, exornantésq́;, tantam capiunt voluptatem ex hac rerum tuarum ſtatus commutatione, vt ſeipſæ non capiant. Video equidem lachrymari certatim omnes, ſed lætitiæ lachrymis, non triſtitiæ. Nec dubium eſt, quin omnes accepto tibi delati Eccleſiaſtici honoris nuncio, Deo immortali, cui nos & omnia noſtra debemus, ſingularibus verbis gratias egerint immenſas. Quòd verò hi Reuerendiſſimi, Illuſtriſſimiq́; Antiſtites, tot variarum Religionum Patres, inſuper quam plurimi generoſi Proceres, ad hunc ſacrũ tuæ ordinationis actum confluxerint: quod tota hæc nobiliſſima aula in admirationem rapta, tanta cum ſedulitate adeſſe voluerit; quòd turba hæc Academica omnes templi parietes carminibus gratulatorijs & emblemate variegato compleuerit: quod tota hæc Grâzenſis ciuitas, quaſi attonito ſimilis, & in eċſtaſi poſita, tanta cum feſtinatione ſeſe huc vndatim effuderit gratulabunda; quid aliud cogitare poſſumus, quàm hunc tantæ multitudinis concurſum, non aliam ob cauſam factum eſſe, niſi vt omnes lætitiæ ſuæ magnitudinem, quam pectoris ſui anguſtijs continere nequeunt, foras proferrent, tibiq́; de hac fauſta inauguratione gratularentur; ac deniq́; in hoc ſolemni tremendi ſacrificij officio, omnipotenti Deo vota facerent, vt hæc publica

commu-

communisq; omniũ lætitia humano generi, inclytæ domui Auſtriacæ, nobiliſſimæq; huic prouinciæ Styriacæ, præſertim verò tibi, omni fælicitate redundaret? Ego profectò lætitia afficior tanta, quantam mens mea imò quantum vel ipſa lætitia poteſt capere maxima, & tibi ne, an Chriſtianæ Reip. potiùs gratulari debeam, pendeo animi. Tui quidem cauſa vehementer lætor, quòd Archidux, ex Regia & Imperatoria proſapia prognatus, in hoc primæuo iuuentutis tuæ flore, collum tuum, tanta cum alacritate, animoq; pluſquam heroico, ampliſſimis contemptis honoribus, ſpretis mundi huius illecebris, delitijs atq; voluptatibus, dulciſsimo ac ſuauiſsimo Chriſti Redemptoris noſtri iugo ſubmiſeris, ita vt hodie non tantùm mente, ſed etiam ore, vultu, ac tota corporis actione, cum Regio Propheta Dauid, ad omnium procreatorem Deum confugiſſe, & oraſſe

Pſalm. 41. mihi viſus fueris: *Sicut deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita ad te Domine deſiderat anima mea.* Recreat me quoq; ſummoperè, quòd tu floſculus & ornamentum Auſtriacæ familiæ, in ipſis adhuc pueritiæ annis, Clericus à me ordinatus, atq; Epiſcopalis benedictionis particeps factus ſis, non aliter, ac eximij illi & ſanctiſsimi veteris Teſtamenti Prophetæ, Samuel & Hieremias, quos ab incunabilis Domino Deo oblatos, dicatos & conſecra-

Thren. 3. tos fuiſſe, ſacræ literæ teſtantur. *Verè bonum eſt viro,* ſcribit Propheta Domini, *cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.* Quem deinceps non oblectet te maximæ expectationis Principem ad talem vitæ ſtatum aſcendiſſe, quo non eſt in toto terrarum orbe vel excellentior, vel illuſtrior, vel ſecurior. Quid enim, obſecro, melius, præſtantiuſue libertate? at Deo ſeruiat oportet, qui veram cupit, amatq; libertatem: Hoc ipſum namq; ſeruire, vera libertas eſt. Quod pulchrè comprobat D. Auguſtinus

Tom. 9. de Spec. ca. 33. cùm ait. *DEVM neſcire, mori eſt: eundem noſſe, viuere eſt:*

quem

Quem ſpernere, perire eſt, cui ſeruire, regnare eſt. Sanè in eam omnipotentis domum, hodierna die aſſumptus es, cuius quanta ſit dignitas & iucunditas, quantus ſplendor & decor, Pſalmographus diuinum illud carmen concinens oſtendit: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Melior eſt dies vna in atrijs tuis, ſuper millia. Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* *Pſal. 83.* Demum vt gratulationi meæ finem imponam, gaudeo quoq; vehementer cauſa Reip. Chriſtianæ. Tua enim, qua polles authoritas, tua quam nunc in Deum exhibes pietas, tua animi generoſitas, atq; perſpicacis ingenij tui non obſcura argumenta, & ſolertia tibi ingenita, nos animo fluctuare non ſinunt, quin nobis de te non niſi magna, illuſtria, ſalutariaq; polliceamur, nec dubitamus, quin hic in vtraq; Cathedrali Eccleſia, tibi collatus Eccleſiaſticus honos, non tantùm ſit principium, fundamentumq; omnium earum, quas in Eccleſia Dei, ſuperis bene fauentibus, conſecuturus es dignitatum, ſed etiam in communem totius Chriſtianæ Religionis vtilitatem ſit ceſſurus quàm maximam; ita vt ex multis, quæ ſæpius præbuiſti, certiſſimis inditijs, nobis omnino perſuadeamus, te Principem fore æquitatis amantiſſimum, vitiorum oſorem vehementiſſimum, turbulentarum hæreſum extirpatorem & profligatorem ſeueriſſimum, Catholicæ Religionis propagatorem, atq; propugnatorem vigilantiſſimum, bonorum omnium fautorem, ſacrarum Muſarum aſylum, doctorum virorum Mecænatem, pauperum patronum, ac deniq; omnium afflictorum refugium, ſolatium, aram, anchoram, portum iucundiſſimum, exoptatiſſimum, ſingularem.

NVNC ad alteram orationis meæ partem, LEOPOLDE Sereniſsime, me confero, in qua pro recepta Eccleſiæ Catholicæ conſuetudine, familiari, ſimplici, & omni ſuperfluo orationis ornatu deſtituto ſermone mihi admonendus, inſtituendusq́; es, quæ te ſcire oporteat, & quomodo te Eccleſiaſticæ militiæ Tyronem in domo Dei gerere debeas. Quod dum facere conor, in ipſo ſtatim veſtibulo ſeſe obijcit mihi ille Pſaltis, in hac tua inauguratione paulò ante clara intrepidaq́; voce à te pronunciatus verſiculus: DOMINVS PARS HÆREDITATIS MEÆ, ET CALICIS MEI, TV ES QVI RESTITVES HÆREDITATEM MEAM MIHI. Hæc itaq́; ſit vnica, quam pro tui eruditione mihi elucidandam ex ſacris Bibliorum libris ſelegi & deprompſi ſententia. Prima itaquè eius verba, DOMINVS PARS HÆREDITATIS MEÆ, primùm explicabo, quæ vt probè intelligas, & cur illa atquè adeò totus verſiculus ab his, qui prima clericatus tonſura initiantur, recitari ſoleat, exploratum habeas, in mentem tibi reuocandum eſt, veteris Teſtamenti populum Dei Iſraheliticum, diuino conſilio & iuſſu, in duodecim Tribus diuiſum diſtributumq́; fuiſſe, earumquè vnam (quæ ab illo duodecim patriarcharum vno, Leui nomen eſt adepta) à præpotente Deo præ cæteris electam, vt ſingulari quodam priuilegio hęreditario, ad cultum obſequiumq́; diuinum deſtinata, tabernaculo Dei, diuinisq́; ſacrificijs, ritu perpetuo deſeruiret. Voluit porrò omnium moderator Deus, vt eiuſmodi Leuitis ad miniſterium ſuum conſecratis, non illi perinde ac cæteris vndecim Tribubus fundi, agri, prædiaq́; terræ promiſſæ pro ſui ſuſtentatione deputarentur, ne ita facilè à curæ ſibi commiſſæ adminiſtratione abſtraherentur, ſed tantùm circa cultum diuinum occupati, Deumq́; ſolum rerum

omni-

omnium largitorem ſuam hæreditatem agnoſcentes, ſubq́; eius tutela protectioneq́; degentes, ex fructuum decimis, populiq́; Iſrahelitici muneribus alerentur, atq́; ſuſtentarentur. Et hoc, quod à me commemoratum eſt, ipſemet Deus prophetæ ſuo Moiſi mandauit, dicens: *Non dabis eis* (Leuitis nimirum ad ſacrificia deſtinatis) *poſſeſſionem & hæreditatem inter filios Iſrahel, quia ego eorum ſum poſſeſſio & hæreditas.* Idem Dominus ad Aaron: *In terra eorum nihil poſſidebitis, neq́; habebitis partem inter eos, ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſrahel.* Quoniam verò extra omnem controuerſiam eſt, Euangelicæ legis clerum in locum Leuitarum veteris Teſtamenti ſucceſſiſſe, voluit ſancta Eccleſia Dei, à ſuo veritatis Magiſtro Spiritu ſancto edocta, omnes illos, qui ſacris ordinibus initiarentur, ſeq́; ad forum Eccleſiaſticum conferrent, hoc Dauidicæ ſententiolæ ritu admonitos, nullam aliam ſolidam hæreditatem in hac noſtra, (vt cum Diuo Auguſtino loquar) *vita miſera, vita caduca, vita incerta, vita laborioſa, vita immunda, vita malorum Domina, ſuperborum regina, plena miſerijs & erroribus, quæ potius mors quam vita dicenda ſit,* expectandam eſſe, quam ſummum illud ſempiternumq́; bonum, Deum ter Maximum, ad cuius perpetuum miniſterium omnibus mundi diuitijs atq́; theſauris vniuerſis poſthabitis ſeſe tradidiſſent, addixiſſent, deuouiſſent. Qua quæ alia excellentior hæreditas vel fingi, vel animo comprehendi poteſt? cum igitur LEOPOLDE Sereniſſime, paulò ante diceres, Dominus pars hæreditatis meæ, ex ſacroſanctæ Eccleſiæ inſtituto hoc volebas dixiſſe: Deus præpotens, *In quo,* vt ait Apoſtolus, *viuimus & mouemur & ſumus, cuius natura,* quemadmodum magnus ille Leo Pontifex teſtatur, *Bonitas, cuius opus miſericordia eſt,* mea eſt hæreditas. Huic munificentiſſimo rerum omnium opifici, & indulgentiſſimo humani generis parenti, omnium bonorum fonti, ac im-

Num. 18.

Lib. Med. cap. 21.

Act. 17.

Pſal.72. menſo pelago, *Adhærere mihi,* vt Propheta loquitur, *bonum eſt.* Eundem totius rerum vniuerſitatis fabricatorem & cuſtodem ſapientiſſimum, ego omnibus margaritis prætioſiſſimis, hæreditatibusq; ampliſſimis, quin & ipſius Cræſi diuitijs, atq; cunctis mundi theſauris

Pſal.26. præſtantiſſimis antepono. Et quoniam *Pater meus & Mater mea dereliquerunt me, Dominus verò aſſumpſit me,* hunc

Philip. 2. totius vniuerſi Dominum, *In cuius nomine oportet vt omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum,* ego mihi tanquam propriam hæreditatem vendico, amplexor, deoſcolor, poſſideo. Huic me totum committo, dedico, ſubijcio, conſecro. Hunc vitæ & immortalitatis noſtræ authorem pro viribus meis amo, colo, veneror, eiq; ſoli ſeruiens toto pectore adhæreo.

VERVM LEOPOLDE, video te loqui, quamuis taceas, illudq; à me expectare, vt tibi declarem, atq; aliqua ex parte ob oculos ponam, quid nam illud ſit, quod ames, cùm hæreditatem tuam Deum amas. Loco mei tibi reſpondet, ſatisfacitq; rutilans illud Eccleſiæ Catholicæ ſydus, Auguſtiſſimus Auguſtinus, Hypponenſis Epiſcopus, cuius hanc de hac cœleſti hæreditate

Tom.1. lib. 10. confeſſ. cap.60. lubet in medium adferre ſententiam. *Quid Amo, inquit, cùm te Deum meum amo? non ſpeciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis ecce iſtis amicum oculis, non dulcem melodiam ſuauium cantilenarum omnimodam, non florum & vnguentorum, & aromatū ſuauiolentiam, non manna, non mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo, cùm amo Deum meum. Et tamen amo quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorem, & quendam cibum, & quendam amplexum, cùm amo Deum lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei. vbi fulget animæ meæ, quod non capit locus, & vbi ſonat, quod non rapit tempus, & vbi olet, quod non ſpargit flatus, & vbi ſapit, quod non minuit edacitas, & vbi hæret, quod non diuellit ſacietas. Hoc*

eſt quod

eſt quod amo, cùm Deum meum amo. Et quid eſt hoc? interrogaui terram, & dixit non ſum, & quæcunq; in eadem ſunt, idem confeſſa ſunt. Interrogaui mare & abiſſos, & reptilia animarum viuarum, & reſponderunt: non ſumus Deus tuus, quære ſuper nos. Interrogaui auras flabiles, & inquit vniuerſus aër cum incolis ſuis: fallitur Anaximines, non ſum Deus tuus. Interrogaui cælum, ſolem, lunam, ſtellas, neq; nos ſumus Deus, quem quæris inquiunt. Et dixi omnibus his, quæ circumſtant fores carnis meæ, dicite mihi de Deo meo, quod vos non eſtis, dicite mihi de illo aliquid? Et exclamauerunt voce magna: Ipſe fecit nos. Quibus verbis D. Auguſtinus, ſanctiſſimus Eccleſiæ Doctor, omnibus inſinuatum voluit, Deum trinum & vnũ, non tantum vllis verbis non exprimi, ſed nec mente quoq; comprehendi poſſe. Ex quo facili negotio intelligimus, quàm ab omni terrenarum rerum affectu debeant eſſe alieni, quantaq; animi puritate, cordisq; munditia præditi atq; ornati, qui ſacris ordinibus ſuſceptis, tam præclaram, opulentamq; ſibi vendicant hæreditatem, inuiolabile nimirum illud Numen, Deum immortalem, quo nihil maius, neq; excellentius eſſe vel cogitari poteſt. Horum ego fælicitatem atq; ſacra miniſteria regijs dignitatibus excellentiora animo reputans, non video, quomodo aptioribus, conuenientioribusq; verbis illis gratulari queam, quam illismetipſis, quibus Iſrahelitici populi dux, & legumlator Moiſes ſuos veteris Teſtamenti Leuitas, cum dignitatem, in qua conſtituti eſſent, ob oculos ponere vellet, eſt allocutus: *Num parum vobis eſt, quod ſeparauit vos Deus Iſrahel ab omni populo, & iunxit ſibi, vt ſeruiretis ei in cultu tabernaculi, & ſtaretis coram frequentia populi, & miniſtraretis ei?* vt autem omnes intelligant eos, qui ſacris initiantur ad peculiare Dei miniſterium non minus, imò multò magis quam veteris Teſtamenti Leuitas deputari, & præ cæteris hominibus præclar[illegible] mis virtutibus fulgere debere, fert ſanctæ matris E[illegible]

Num. 16.

ſiæ laudatiſſima conſuetudo, vt Epiſcopi clericos ordinántes in formam coronæ, capitis capillos eis abſcindant; deinde eoſdem alba veſte induant; qui demum cæreos accenſos in manibus tenent. Quæ ſanctæ Eccleſiæ cæremoniæ, cùm ſuis non vacent myſterijs, eas paucis verbis explicare non grauabor; maximè verò eam quoq; ob cauſam, ne quæ ſacra ſunt, prophana eſſe putentur, præſertim cùm hoc calamitoſo tempore multi ſint, qui ea omnia [Deus bone, quæ nos ætas habet?] *quæ ignorant*, vt ait Apoſtolus, *blaſphemant, quæ autem naturaliter vt bruta animantia norunt, in his corrumpuntur.*

Iudas in ſua Epiſt.

PRIMVM itaq;, qui ſacris initiantur, capillis abſciſſis, ſacra clericatus tonſura inſigniũtur. Quod ſi quis huius rei à me exordium petat, non ego meam ſed Iſidori proferam ſententiam, hanc radendorum capitum conſuetudinem à veteris Teſtamenti Nazareis, qui cætero populo ſanctiores habebantur, duxiſſe principium, eamq; poſtea auctoritate Apoſtolica approbatam, ac roboratam eſſe. Id ipſum enim ipſe Iſidorus hiſce verbis teſtatur: *Tonſura Eccleſiaſtica vſus à Nazareis, ni fallor, exortus eſt, qui prius crine ſeruato, denuò poſt magnam vitæ continentiam, deuotione completa, caput radebant, & capillos in ignem ſacrificij ponere iubebantur, ſcilicet vt perfectionem deuotionis ſuæ conſecrarent. Huius ergo exempli vſus ab Apoſtolis introductus eſt, vt qui diuinis cultibus mancipati, Domino conſecrantur, quaſi Nazarei, id eſt ſancti Dei crine præciſo innouentur. Hoc quoq; & Ezechieli iubetur, dicente Domino: Tu fili hominis ſume tibi gladium acutum, & duces ſuper caput tuum & barbam, videlicet quia ipſe ſacerdotali genere Deo in miniſterio ſanctificationis ſeruiebat. Hoc & Nazareos priſcillã & Aquilam in Actis Apoſtolorum primos feciſſe legimus. Paulum quoq; Apoſtolum & quoſdam diſcipulorum Chriſti, qui huiuſmodi cultu imitandi extiterunt.* Clericalis porrò coronæ vſum, exiſtimat venerabilis Beda, ab Apoſtolorum principe D. Petro habuiſſe initium. Sic enim is ait: *Non*

Iſid. de diuinis offi: in Con. Aquiſgran. cap. 1.

Ezech. 5.

Non ob id tantum in coronam attondemur, quia attonſus ita eſt Petrus, ſed quia Petrus in memoriam dominicæ paſſionis ita attonſus eſt. Confirmat hanc Bedæ ſententiam id, quod ſcribit Germanicus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, ſic dicens: *Duplex corona circumpoſita capiti ſacerdotis, capillorum ſignificatione imaginem refert venerandi capitis Apoſtoli Petri, qui cùm miſſus eſſet ad prædicationem Domini & Magiſtri, ei tonſa eſt ab his, qui eius ſermoni non credebant, vt illuderetur ab ipſis, eiq́; Chriſtus Magiſter benedixit, & infamiam in honorem, illuſionem in gloriam conuertit, & poſuit ſuper caput eius coronam, non ex lapidibus pretioſis, ſed lapide & petra fidei eius, fulgentem ſupra aurum et topazion, & lapides pretioſos.* Ex his ſatis manifeſtè conſtat, hic in modum ſpheræ vel coronæ capitis radendi vſus vnde profluxerit, ab Apoſtolica nimirum inſtitutione, quem traditione acceptum, etiam Eccleſiæ Patres, qui non longè poſt Apoſtolos vixêre, ſeruauerunt. D. Hieronymus ſcribens ad D. Auguſtinum, in ſua quadam Epiſtola, huius coronæ clericalis non meminit modò, verum & eius nomenclatura Auguſtinum compellat. *Euodium,* inquit, *vt nomine meo ſalutes, precor, coronam tuam.* Diuus itidem Auguſtinus ad Proculianum Epiſcopum ſcribens, ait: *Per coronam noſtram nos adiurant veſtri, per coronam veſtram vos adiurant noſtri.* Dum verò Concilium Toletanum quartum iubet, vt omnes clerici detonſo ſuperius capite toto, inferius ſolam circuli coronam relinquant, non ſic intelligendum eſt, quaſi hunc radendi vſum tùm temporis inſtituerit, ſed tantummodò prius ſeruatum tondendi modum præſcribit, volens, vt ſæculares clerici non minus ac Monachi ſola circa aures circuli corona relicta, qui mos omnibus Eccleſiaſticis olim fuerat communis, tondeantur. Succeſſu vero temporis factum eſt, vt clerici ſæculares, vel maiorem vel minorem pro conſuetudine locorum geſtare cæperint, ſicut & noſtro tempore apud nos fieri videmus. Monachos etiam Apoſtolorum tempore

Beda lib. 5. hiſt. Ang. cap. 21.

In Theor: rerum Eccleſ.

Epiſt. 26.

Epiſt. 147.

Cap. 40.

pore tonderi ſolitos, Dioniſius Areopagita, Diui Pauli
Cap.6. diſcipulus, in ſuo libro, qui Eccleſiaſtica Hierarchia
Lib.de operibus Monach. cap. vltimo. inſcribitur, expreſſè commemorat. Monachos deinde quoſdam à Diuo Auguſtino, & Epiphanio ideo obiurgatos legimus, quod aliorum religioſorum more tonderi recuſabant. Tandem cùm videamus hunc radendorum
Hæreſ. 80. capitum vſum in Eccleſia Dei tota ſemper & vbiq; viguiſſe, quis negabit eum aliunde, quàm ex Apoſtolorum inſtitutione promanaſſe? hoc enim clarè euincitur, ex illa quam Diuus Auguſtinus tradidit, regula,
Lib.4. contra Don: cap. 24. quæ ſic ſe habet: *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolica traditum eſſe, rectiſſimè creditur.* Quin & perantiqua numiſmata commonſtrant, Saluatoris noſtri Apoſtolos modo iam commemorato tonſos fuiſſe. Huic rei fidem faciunt in Cæſaris Baronij, S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Annalibus duorum numiſmatum effigies, quæ
Tom.4. Anno 1394. ab ipſo hiſce verbis explicantur: *Vides Theodoſij ſenioris veram certamq; vultus effigiem, eiuſq; manum dextram volumine nempe (vt puto) ſacro Euangelio munitam, ſiniſtram verò cruce armatam, quibus ſignificetur his armis ſuperaſſe confidentem Dijs gentium exercitum. Ex aduerſa verò numiſmatis facie, intueris expreſsè ſacerdotali decoros habitu, geminos illos, quos in viſu vidit Apoſtolos, Ioannem atquè Philippum expreſſos reddi, æque dextra volumen ſacrum, ſiniſtra verò crucem geſtantes. Habes etiam ex his lector inter alia, vnde antiquum ſacerdotalem habitum diſcas, ſimulq; tonſuram intelligas, atq; palliola humeros & pectus decorè ambientia, votaq; nuncupata atq; multiplicata.* Ex quibus omnibus luce meridiana clarius patet, hunc in formam ſpheræ capitis radendi vſum antiquiſſimum, atq; adeo in Eccleſia Dei, traditione Apoſtolica ſemper habitum & obſeruatum eſſe, atq; vbiq; terrarum tantoperè innotuiſſe, inualuiſſeq;, vt non ſit ciuitas, non inſula, non prouincia, non regnum, quò

prædica-

prædicatio Euangelij peruenit, quod hanc Apoſtolicam conſuetudinem ignorare potuerit.

CAVSÆ verò & rationes, cur Eccleſiæ Dei, vel potius eius Magiſtro veritatis ſpiritui ſancto, ſic viſum fuerit, vt eorum capita, qui ſe diuino cultui manciparent, tonderentur, à varijs variæ aſſignantur. Vna earum eſt, vt hæc clericalis tonſura eſſet ſignum, quo miniſtri Dei à reliquo vulgo diſcernerentur. Quod eleganter oſtendit egregius ille Doctor, Hugo de S. Victore, ſic dicens: *Primum ſignaculum cleri corona eſt, ſicut enim ferro ſignari ſolent oues, vt ad hunc vel illum pertinere noſcantur, ita tonſura prima ſignat Deus oues ſuas, vt ſciatur miniſtros eos Dei eſſe, qui ſignum hoc habent.* Alij ſentiunt clericos etiam eam ob cauſam tonderi, vt capillorũ ablatione admoneantur, ſicut ipſis omnis ſuperfluitas ſubtrahitur, ita ipſos omnibus vitæ ſuperfluitatibus renunciare, eorumq; animos à ſuperfluis cogitationibus, curis, ſollicitudinibus vacuos eſſe debere. Docent ita Iſidorus, Rabanus, Hugo Victorinus. Quorum doctrinam confirmat D. Gregorius ſequentibus verbis: *Tondere caput, eſt cogitationes ſuperfluas à mente reſecare.* Diuus Dionyſ. Areopagita, quem poſt Apoſtolos Theologorum principem docti appellare ſolent, exiſtimat nudatione illa capitis vitam puram, apertamq; denotari, cui Eccleſiaſtici ſtudere debent. Iſidorus inſuper addit hanc huius rei rationem, vt tonſurati in memoriam reuocent, per capillorum abſciſſionem, purgationem à peccatis deſignari. Sic enim ait: *Eſt autem clericis tonſura ſignum quoddã, quod in corpore figuratur, & in anima agitur, ſcilicet, vt hoc ſigno & religione, vitia reſecentur, & criminibus carnis noſtræ, quaſi crinibus exuamur, atq; innouatis ſenſibus, vt comis rudibus eniteſcamus, expoliantes nos, iuxta Apoſtolum, veterem hominem cum actis ſuis, induentes nouum, qui renouatur in agnitione Dei, quam renouationem in mente oportet fieri, ſed in capite demonſtrari, vbi ipſa mens noſcitur habitare.* Authores paulò ante ci-

Lib. 2. de Sacram. p. 3. cap. 1.

Lib. 2. de officio clericorum. ca. 4.
Lib. 1. de Inſtitut. cler. cap. 1.
Lib. 2. de ſacramentis p. 3. cap. 1.
Lib. 2. Mor. cap. 28. in Iob.
Dionis. Ecc. Hier. cap. 6.
Iſid. loco citato.

tati hanc aliā rationem aſſignant, vt ſignificetur animum Eccleſiaſticorum hominum, qui tanquam vertex & caput in homine eſt, debere eſſe apertum, expeditumq; ad diuinas illuſtrationes cœlitus percipiendas. Quæ interpretationes omnes etſi veræ ſint, mihi tamen propius ad veritatis lucem accedere videntur, qui opinantur per clericalem coronam repræſentari illam Chriſti Saluatoris ſpineam, in qua clericos non minus gloriari deceat, quàm Apoſtolum Doctorem gentium, in cruce

Ad Gal. 6. Domini, dum ait: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri I E SV Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Huius opinionis venerabilis Beda eſt, his eam verbis explicans: *Inter omnes autem,* inquit, *quas in Eccleſia, vel in*

In hyſt. Ang. lib. 5. c. 22. *vniuerſo hominum genere reperimus tonſuras, nullam magis ſequendam amplectendamq; iure dixerim ea, quam in capite ſuo geſtabat ille, cui ſe confitenti Dominus ait: Tu es Petrus. Neq; ob id tantum in coronā attondemur, quia attonſus eſt & Petrus, ſed quia Petrus in memoriā Dominicæ paſſionis ita attonſus eſt. Idcirco & nos, qui per eandem paſſionem ſaluari deſideramus, ipſius paſſionis ſignū, cum illo in vertice, ſumma videlicet corporis noſtri parte, geſtamus. Sicut enim omnis Eccleſia, quæ per mortem ſui viuificatoris Eccleſia facta eſt, ſignum ſanctæ crucis in fronte geſtare conſueuit, vt crebrò vexilli huius munimine à malignorū ſpirituum defendatur incurſibus, & crebra huius admonitione doceatur, ſe quoq; carnem cum vitijs & concupiſcentijs crucifigere debere, ita etiam oportet eos, qui vel Monachi votū, vel gradū clericatus habentes, arctioribus neceſſe habent pro Domino ſe continentiæ funibus aſtringere. Formam quoq; coronæ, quam ipſe in paſſione ſua ſpineā portauit in capite, vt ſpinas & tribulos peccatorum noſtrorum portaret, id eſt, exportaret, & auferret à nobis, ſuo quemq; in capite per tonſuram perferre, vt ſe irriſiones & opprobria pro illo libenter ac prompto animo ſufferre, ipſo etiam frontiſpicio doceant, vt coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe, ſemper expectare, proq; huius perceptione, & aduerſa mundi & proſpera contemnere deſignarent.* Demùm clerici

rici iſto exteriori coronæ ſigno notantur, vt tales intelligant ſe paſtores & reges ſuper populum Dei conſtitutos eſſe, quem verbi diuini prædicatione, ſalutiferis adhortationibus, & optimis ſanctitatis exemplis ad cœleſtem gloriam dirigere, & diuiniſſimorum ſacramentorum pabulo alere, paſcere, nutrireq; debeant. Et licet illud Apoſtoli, *Vos eſtis genus ſanctum, & regale ſacerdotium*, de omnibus Chriſtianis intelligi poſſit, tamen peculiariter miniſtros Chriſti concernere, Iſidorus loco citato oſtendit, dicens: *Quod verò detonſo capite ſuperius, inferius circuli corona relinquitur, ſacerdotium regnumq́; Eccleſiæ in eis exiſtimo figurari. Tyara enim apud veteres conſtituebatur in caput Sacerdotis. Hac ex byſſo confecta rotunda erat; quaſi ſphara media, & hoc ſignificabatur in parte capitis tonſi. Corona autem latitudo aurei circuli eſt, quæ regum capita cingit. Vtrumq́; itaq́; ſignum exprimitur in capite Clericorum, vt impleatur Corporis etiam quadam ſimilitudine, quod ſcriptum eſt Petro Apoſtolo pradocente; vos eſtis genus ſanctum, regale ſacerdotium.* 1. Pet. 2.

VERVM mirabitur forſan quiſpiam, quod tanti fiant ſacerdotes Chriſti, vt etiam Regibus comparentur. Attamen ceſſabit omnis procul dubio admiratio, ſi perpendamus, quanta ſit illa Eccleſiaſtica poteſtas, quæ omnem humanam longè excedit. Habent etenim miniſtri Chriſti ab eo, qui dixit eis: *Ite in orbem vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ*, hanc inſignem poteſtatem, vt verbum Dei, quod eſt quolibet gladio ancipiti penetrabilius, annunciantes, homines deuios in viam ſalutis reducant, è tenebris transferant ad lucem, præceptis cœleſtibus imbuant, quò repudiatis reiectiſq; erroribus, ex ignorantiæ labyrintho emotos, & in arcem veritatis collocatos, regni cœleſtis ciues, cohæredeſq; Chriſti conſtituant. An non eſt hæc magna poteſtas? maxima ſanè, propter quam Pro- Mar. vlt.

 pheta

Iſa. 52. pheta Iſaias & D. Paulus hos diuini verbi præcones fælices prædicant; dicentes. *Beati pedes Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona.* Multas magnasq́; merces, dicebat Theognis, ferrent Philoſophi, ſi quomodo Circe herbis & cantibus ſuis homines conuertebat in feras, ita ipſi ſuis ſermonibus ex feris homines facerent. Sed quid non faciunt Sacerdotes Dei? non tantum feras, hoc eſt, homines ferarum ſimillimos à vitijs ad virtutes, à furore ad rationem, ab immanitate ad humanitatem reuocant, ſed etiam eos diuini verbi promulgatione Diuos, cœliq́; Reges reddunt, immortalitate donant, perpetua vt fruantur fælicitate efficiunt. Habent porrò miniſtri Chriſti ab eo, qui dixit eis: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, qui crediderit & Baptizatus fuerit, ſaluus erit,* hanc eximiam poteſtatem, vt animas mortalium originis peccato fædas, varijsq́; actualium ſcelerum inquinamentis infectas, ab omnium iniquitatum maculis eluant, lauacro regenerationis emundent, & ſempiternæ beatitudinis participes reddant, ita vt de omnibus ſacro Baptiſmatis fonte ablutis dici poſſit illud Apoſtoli: *Abluti eſtis, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.* Quin & hanc quoq́; poteſtatem habent miniſtri Chriſti, ab eo, qui dixit eis; *Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt,* vt facto naufragio, in pelagus peccatorum prolapſos & immerſos, tabula pœnitentiæ arrepta, emergere & enatare faciant, animas grauioribus ſauciatas criminibus releuent, infirmas curent, demortuas & vitijs planè extinctas reſuſcitent, vt pro tribunali, loco Dei, in Eccleſia ipſius ſedentes hominum cauſas aduerſus Deum, & Dei aduerſus homines, audiant, dijudicent, & poteſtate clauium pro qualitate rei vel remiſſionis, vel retentionis peccatorum pronuncient ſententi-

Rom. 10. *Mar. vlt.* *1. Cor. 6.* *Ioan. 20.*

ſententiam, lites inter ſummum Regem & eius populum componant, ſeruos peccati & mortis vinculis ſoluant, dura captiuitate oppreſſos redimant, portas cœli ob culpam occluſas reſerent, variè offenſum conditorem nobis reconcilient, ac tandem ab horribili ſeueri iudicis Chriſti ſententia liberent, & à ſempiternis gehennæ ſupplicijs abſoluant. Magna quippe & perampla miniſtrorum Chriſti Domini authoritas, quam oratione quis ſatis edicere & explicare poterit? omnium tamen maxima illa eſt, quam ab eo acceperunt; qui poſtquam pridiè, quàm pateretur, ſub velaminibus & ſpeciebus panis & vini, in poſtrema noctis cæna patri ſuo cœleſti ſecundum ordinem Melchiſedech ſeipſum obtulit, dixitq; eis: *Hoc facite in meam commemorationem*; vt in ſacroſancto Miſſæ officio corpus & ſanguinem Chriſti conficere, & Deo omnipotenti pro peccatis & ſalute totius populi Chriſtiani offerre poſſent. Qua rogo poteſtate quid nam eſt, quod poſſit eſſe ſublimius, mirabilius, excellentius, diuinius? Legimus ad imperium Ioſue ſolem & lunam ſtetiſſe, *Obediente Domino Deo*, vt ſacra ſcriptura habet, *hominis voci*. Res ſanè mira, ſtupenda, inaudita, ſydera immota hæſiſſe, Dominum vniuerſorum homini paruiſſe. At longe maius eſt Chriſtum cœli Dominũ toties in ſacrificio ſub ſpeciebus panis & vini præſentem adeſſe, quoties ſacerdos ad id verba à Chriſto deputata adhibet, Deo obediente hominis voci, idq; non ſemel, vt Ioſue tempore factum eſt, ſed toties, quoties ſacrificium hoc tremendum ritè peragitur. Ad aulam vteri virginei Saluator hic ſemel tantum diuertit, in manus verò ſacerdotum quotidie è cœlis deſcendit. Moyſen legimus manna de cœlo impetràſſe, ſed attende illud huius diuini muneris figuram tantùm fuiſſe. Aliud enim verius hìc manna exhibetur, vbi per manus ſacerdotum ipſe Chriſtus verus panis, de cœli in terram

Luc. 22. *1. Cor. 11.* *Ioſ. ca. 10.* *Exod. 16.*

 faſtigio

faſtigio delapſus, in vitam credentium edendus proponitur & diſtribuitur, cùm ipſe de ſe aſſeueret, dicens: *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi, ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis quem ego dabo, Caro mea eſt, pro mundi vita.* Diſcrimen porrò inter ſe & panem Moſis aſſignans, ait: *Amen dico vobis, non Moiſes dedit vobis panem de cælo, ſed pater meus dat vobis panem de Cælo verum. Panis enim Dei eſt, qui deſcendit de Cælo, & dat vitam mundo.* Porrò: *Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt: Hic eſt panis de Cælo deſcendens, vt qui ex ipſo manducauerit, non moriatur.* Et iterum: *Hic eſt Panis, qui de Cælo deſcendit. Non ſicut manducauerunt Patres veſtri manna, & mortui ſunt, qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Et hæc quidem omnia, opera & miniſterio ſacerdotum Dei perficiuntur. Quid iam amplius dicemus? An non hæc ſacerdotum poteſtas maior eſt quam regia? hanc eorũ authoritatem ſedula mentis conſideratione aduertens D. Ambroſius, audi quæſo, quantum eos efferat, & quo loco illos collocet, qui hac poteſtate pollent: *Honor,* inquit ipſe, *& ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & principum diademati, longè erit inferius, quam ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Quippe cùm videas Regum colla & principum, ſubmitti genibus ſacerdotum, & exoſculatis eorum dextris, orationibus eorum credant ſe communiri.* Cùm itaq; miniſtri Chriſti tanta excellant poteſtate, vt ipſis animarum iudicium, ligandi atq; ſoluendi autoritas ſit commiſſa, eorumq; cenſuram & Reges & principes, ſi regnis cœleſtibus excludi non velint, ſubire cogantur, cur eos Reges ſuper Dei populum conſtitutos negabimus? cur eos coronas in Capitibus meritò geſtare inficiabimur? quin potius exclamemus cum populo: *Benedictus Deus, qui dedit poteſtatem talem hominibus.* Imò adeo erroris nihil committimus,

[Margin notes: *Ioan. 6.* — *Tom. 4. de dignitate Sacerd.* — *Math. 9.*]

timus, dum Euangelicæ legis ſacerdotes Regibus comparamus, eosq; Reges nuncupamus, vt etiam magnus ille Imperator Conſtantinus ijſdem maiorem habuerit honorem; Is enim ſacerdotum ſublimitatis dignitatem, dignitatisq; ſanctitatem animo reuoluens, eos non tantum Reges, ſed etiam Deos appellare non reformidauit. Cùm etenim libellos ab Epiſcopis, alijsq; ſacerdotibus quondam ſibi oblatos, quibus ſe inuicem accuſabant, Vulcano tradidiſſet, illis incendio conſumptis, ad Epiſcopos conuerſus dixiſſe fertur: *Vos à Deo ſacerdotes eſtis* *Lib.10. Ecc. hyſt: & cauſa 12. quæ.1. cap. futurum.* *conſtituti, & nobis dati vt Dij, qui ab hominibus iudicari non debetis, ſed homines à vobis.* Hoc etiam D. Hieronymi, quem Malleum hæreticorum appellant, confirmat doctrina, qui caput decimum ſextum Mathæi Euangeliſtæ *D. Hieronimus lib.3. in Mathæum.* explicans, hæc verba pronunciauit: *Prudens lector attende, quod ex contextu ſermonis, Apoſtoli, nequaquam homines, ſed Dij appellantur. Cùm enim Dominus dixiſſet, quem dicunt homines, eſſe filium hominis, ſubiecit: Vos autem, quem me eſſe dicitis? illis quia homines ſunt humana opinantibus, vos qui eſtis Dij, quem me eſſe exiſtimatis?* Dij ergò ſunt Eccleſiæ Catholicæ ſacerdotes, nimirum ob poteſtatem quam habent diuinam. Sed quæ nam illa? illa dico, de qua hactenus locutus ſum. vnde autem eam habeant, dicam breuiter. Res tamen hæc altius repetenda eſt, nec ſua, vti ſpero, carebit vtilitate.

DIVINA Eccleſiaſtica poteſtas à ſolo Deo Opt. Max. ſuam habet originem. Nam vt Apoſtolus D. Iacobus teſtatur: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum, apud quem* *Iacob.1.* *non eſt tranſmutatio.* Vas quoq; illud electionis D. Paulus: *Nemo,* ait, *ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* *Heb.5. Exod.28. Num.17.* Et in alio loco dicit: *Tu es Sacerdos ſecundum* *Pſal.109.*

ordinem

ordinem Melchiſedech. Hinc Saluator noſter ipſemet aduerſum Phariſæos & Scribas differens, frequenter ſe à patre miſſum, à patre ſe edoctum loqui, à patre ſe obtinuiſſe, vt miranda inter homines, & antea nunquam viſa, nec audita, ſtupenda prodigia & miracula operaretur, à Patre ſe tandem cuncta & poſſe & habere con-

Math. 28. firmat, & euidenter coarguit, *Data eſt mihi,* ait Apoſtolis, & alijs congregatis fidelibus, à quibus è monte olíueti in cœlum diſceſſit, *omnis poteſtas in cœlo & in terra.*

Heb. 5. Datam ſibi fatetur. At quis dedit? Is ſolus, qui eum cla-

Pſal. 2. rificauit, vt Pontifex fieret. Is ſolus qui dixit ei: *Filius*

Pſal. 109. *meus es tu, ego hodie genui te.* Is ſolus qui dixit ad eum: *Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech.* Is ſolus, qui bis voce de cœlo lapſa teſtificatus eſt, hunc Saluatorem ſolum audiendum eſſe, cùm dixit: *Hic eſt*

Math. 17. *Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite.* Hic igitur primus Pontifex, & primus Eccleſiæ ſuæ Hie-

Eph. 4. rarcha, *Aſcendens in altum,* vt ait Apoſtolus, *dedit dona hominibus, & quoſdam quidem dedit Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti.* Sed quæret quiſpiam quomodo dederit dona? quomodo poſuerit Apoſtolos, miniſtroſq; Eccleſiæ? Dicam. Quoniam creator omnium Deus voce cœleſti de filio ſuo vnigenito conteſtatus eſt eum audiendum eſſe, ipſum certè audiamus neceſſe eſt: quid

Ioan. 20. is ergò dicit? *Sicut miſit,* inquit ad Apoſtolos, *me Pater, ita & ego mitto vos.* Hoc vult dicere. Eadem poteſtate vos dono, & mitto, qua me miſit pater cœleſtis, & quoniam omnem is mihi dedit poteſtatem in cœlo & in terra, meq; miſit cum poteſtate alios etiam mittendi, ordinandi & ſubſtituendi, ideo & ego poteſtatem à patre meo cœleſti mihi traditam vobis, etiam communico, vos meæ conſtituens miniſtros Eccleſiæ, inſuper

& hoc

& hoc vobis largiens, vt dona hæc à me vobis conceſſa, alijs quoq; largiri, ſucceſſoresq; in opus miniſterij, ædificationem & conſtructionem corporis mei, ſcilicet myſtici, quod eſt Eccleſia mea, vocare, deputare, & relinquere poſſitis. Hanc itaq; diuinam poteſtatem poſtquàm Apoſtoli à Chriſto Domino noſtro acceperunt, eandem deinde illi alijs, cum Eccleſiæ neceſſitas id exigeret, impertiti ſunt. Cuius rei exemplum ex actis Apoſtolorum petere licet, vbi traditur Paulum & Barnabam per χειροτονίαν (ſic etenim Græci Ordinis ſacramentum, nos vero manuum impoſitionem appellamus) in miniſtros Eccleſiæ Dei, & Epiſcopos ordinatos, conſecratosq; eſſe. Textus ita habet: *Miniſtrantibus autem illis* (quod Græcis myſticam oblationem ſignificat) *& ieiunantibus, dixit illis Spiritus ſanctus; Segregate mihi Saulum & Barnabam, in opus ad quod aſſumpſi eos. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesq́, eis manus, dimiſerunt illos*. Paulum itaq; & Barnabam ab Apoſtolis ordinatos eſſe Epiſcopos, non tantùm ipſa verba, quæ nihil obſcuritatis habent, præſeferunt, ſed etiam illa ipſa ita exponunt & declarant, præter alios Theologos, Lyra, Sanctus Leo Papa, Diuus Chriſoſtomus, Robertus Bellarminus et Dominicus Banes. Enimuerò hanc ab Apoſtolis acceptam poteſtatem adeò in ſe agnouit D. Paulus, vt eam ſe habere, vel inde voluerit alijs eſſe notiſſimum, quòd ipſe Timotheum & Titum diſcipulos ſuos in Sacerdotes & Epiſcopos ordinauerit. Hoc eius luculenter oſtendunt, quas ad ipſos ſcripſit, Epiſtolæ. Vnde Timotheũ, in ea, quã ad ipſum dedit, cõmonet, dicens: *Noli negligere gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiã, cum impoſitione manuum presbiterij.* Et iterum: *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum.* Quę loca de ordinis ſacramento, quod Græcis (vt iam dixi) χειροτονία, hoc eſt, manuum impoſitio dicitur intelligi debere cõſenſus eſt omnium interpretum. Iſtam

Actor. 13.

Leo Papa Epiſt. 81. *ad Dioſcorum.*
D. Chriſoſt. in commentario huius loci.
Bellar. lib. 1 *de ſac.or.c.* 2
Ban. in 2. 2. *D. Tho. q.* 9. *ar.* 10.
1. *Tim.* 4.
2. *Timoth.* 1

verò Apoſtolicam poteſtatem num vnà cum Paulo, quando Romæ pro Chriſto gladio percuſſus eſt, putabimus extinctam? Minimè verò. Oſtendit enim idem Apoſtolus hac eadem Eccleſiaſtica poteſtate præditos eſſe & reliquos Epiſcopos, Apoſtolorum ſucceſſores, dum ſic eis

Act. 20. inclamat: *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus vos poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Et quidem Timotheum hanc ipſam à Paulo ſibi communicatam poteſtatem alijs quoq; contuliſſe, illud ſepè memorati Apoſtoli

1. Tim. 5. probat: *Nemini cito manus impoſueris.* In quibus verbis duo ſuo Timotheo innuit. Primum eſt, quod poteſtas illi collata ſit, alijs manus imponendi. Alterum verò eſt, quod monitum illum voluerit, vt non niſi perſpectæ probitatis ſanctitatisq; viros, miniſtros Chriſti, & ſacerdotes conſtitueret. Quamplures quoq; à Tito ordinatos eſſe, itidem conuincit Pauli ad ipſum Titum

ad Tit. 1. exarata Epiſtola, in qua ait: *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates presbiteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* Illi igitur preſbiteri per Eccleſias in Creta conſtituti, ſicut & illi, quos Timotheus ordinauerat, acceperunt ſuam poteſtatem Eccleſiaſticam à Tito & Timotheo, hi verò à Paulo, Paulus ab Apoſtolis, ſicut & Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus verò à patre ſuo cœleſti. Ex quibus liquidò conſtat, neminem ſibi hanc ſpiritualem poteſtatem arrogare poſſe, niſi eam media Eccleſiaſtica & Apoſtolica ordinatione à talibus Epiſcopis acceperit, qui eandem ab Apoſtolis vſq; deriuatam, ab alijs Apoſtolicis viris, prædeceſſo-

Exod. 20. ribus ſuis ſint conſecuti. Nam neq; Moyſes propria authoritate ſibi tabulas, in quibus lex Dei continebatur, ſumpſit, ſed de manu Dei acceptas populo tradidit Iſra-

1. Cor. 11. helitico. Et Paulus id, quod à Domino acceperat, ſe tradidiſſe affirmat. Inſaniunt itaq;, & planè deſipiunt qui imaginantur ſibi hanc cœleſtem poteſtatem à Regibus,

gibus, vel Principibus, vel ciuitatibus, vel communitatibus, plebe, aut aliquo magiſtratu ſæculari concedi poſſe. Nugæ ſunt & næniæ, cùm illa non niſi per Chriſtum ſalutis reparatorem, & Apoſtolos, Apoſtolicosq; viros, in Dei miniſtros, legitima manuum impoſitione deſcendat. Verùm vlterius progrediamur. Septem illi *Act. 6.* Diaconi, de quibus in actibus Apoſtolorum legimus, à quanam communitate fuerunt ordinati? nonne eos in conſpectum Apoſtolorum conſtituerunt, à quibus & per manus impoſitionem conſecrati fuere? ſic quoq; Paulum & Bárnabam Lyſtram & Iconium, & Antiochiam profectos, & illis paſtores præfeciſſe accepimus. Ita enim Lucas ſcribit: *Et cùm conſtituiſſent illis* (textus græcus *Act. 14.* habet χειροτονήσαντες, hoc eſt, cùm per manus impoſitionem creaſſent) *per ſingulas Eccleſias presbyteros, & oraſſent cum ieiunationibus, commendarunt eos Domino, in quem crediderunt.* Quem ordinandi morem Apoſtolicum, in hanc vsq; horam Eccleſia Dei ſeruare ſolet, dùm & ieiunia ſeruantur, & orationes ad Deum fiunt, & manus demùm ab Epiſcopis imponuntur. Narrant Eccleſiaſticæ pariter hyſtoriæ, Petrum Apoſtolorum Principem Antiochiæ dediſſe & reliquiſſe Epiſcopum S. Euodium, *Niceph. Cat. Hyſt.* atq; huic deinde ſucceſſiſſe S. Ignatium; Marcum præ- *Eccl. lib. 2.* feciſſe Alexandriæ; Romæ Clementem. At quid in re *cap. 35.* tam clara tàm diu immoror? vela contraham, vnum hoc, & quidem breuius dicam: Qui hac Eccleſiaſtica ordinariaque poteſtate deſtituti, temeraria quadam audacia ſacerdotum officium ſibi vendicant, quos putatis eſſe hos? non ſunt veri paſtores, non ſunt veri Epiſcopi, non ſunt veri Eccleſiæ miniſtri, ſed paſtorum ſimiæ, Luciferi ſatellites, optimarum mercium impoſtores, & pſeudoprophetæ, de quibus Dominus per Prophetam conqueritur: *Non mittebam Prophetas, & currebant, non loque-* *Hier. 23.* *bar ad eos, & prophetabant.* Qui verò hac cœleſti, Apo-

ſtolica diuinaq́; pollent poteſtate, Dij ſunt, Reges ſunt, eamq́; ob cauſam non iniuria corona illa clericali decorantur, ſuntq́; illi, quos Apoſtolica authoritate fultos

Eph. 2. Apoſtolus alloquitur: *Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide IESV Chriſto Domino.* Cùm iam demonſtratum ſit, cur clerici in modum ſpheræ tonderi ſoleant, & quod hic tondendi ritus ab Apoſtolis vsq́; ad nos ſemper in Eccleſia Chriſti fuerit vſitatus, nunc videamus, quid ſibi velit veſtis illa candida, qua militiæ Eccleſiaſticæ nouus Tiro indui ſolet.

ALBA veſtis animi candorem, mentis integritatem, innocentiæ, caſtitatisq́; perfectionem denotat, idq́; vel hoc ſolum oſtendit, quòd angelos puriſſimos illos ſpiritus, ab omni terreni ponderis labe alieniſſimos, non in alijs, quàm candidis veſtibus hominibus ſeſe conſpiciendos præbuiſſe ſacra ſcriptura paſſim commemorat. Et ſanè, ſi omnes admodum decet caſtitatis virtus, tùm vel maximè ea præditos, ornatosq́; eſſe oportet, qui ſe ſtatui Eccleſiaſtico deuouerunt. Nam ſi præ-

Eſ. 52. potens Deus, vt ſacræ teſtantur literæ, eos mundos eſſe voluit, qui in veteri lege tuliſſent vaſa Domini, quantò mundiores eſſe debent, qui non tantum ferunt vaſa Domini, ſed ipſimet ſunt vaſa Domini, vt id docet Apo-

1. Cor. 6. ſtolus inquiens: *Empti enim eſtis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* Hinc Beatus Cyrillus Epi-

Cateche. Myſtagog. 4. ſcopus Hieroſolimitanus ait: *Efficimur chriſtiferi, hoc eſt, Chriſtum in corporibus noſtris ferentes, cùm corpus eius & ſanguinem in membra noſtra recipimus, ſic ſecundum Beatum Petrum diuinæ naturæ conſortes reddimur.* Quanta itaq́; animi puritate fulgere decet eos, qui Deum in ſe habere inhabitantem debent, cùm diuinorum myſteriorum, corporis nimirum & ſanguinis Chriſti fiunt participes? quàm puras

neceſſe

neceſſe eſt, vt habeant manus, qui aliorum ſordes & peccatorum maculas eluere debent? Eo ſanè caſtitatis laus eminentior exiſtit, quo corpus noſtrum & per ſe præſtantius, & nobis quoq́; quam res externæ charius eſt, nihilq́; æquè homines magis reddit Angelis cœleſtibus ſimiles, quàm hæc ipſa puritatis virtus. Hanc ideò ſummè commendat D. Ambroſius: *Quis eam,* inquit, *poſſet ingenio comprehendere, quam nec natura ſuis legibus incluſit? aut quis naturali voce complecti, quod ſupra vſum naturæ ſit? è Cœlo accerſiuit, quod imitaretur in terris. Nec immeritò viuendi ſibi vſum quæſiuit è Cœlo, qui ſponſum ſibi inuenit in Cœlo. Hæc nubes, aëra, angelos, ſyderaq́; transgrediens, verbum Dei in ipſo ſinu patris inuenit, & toto hauſit pectore. Nam quis tantum, cùm inuenerit, relinquat boni? poſtremò non eſt meum illud: quoniam non nubunt, neque nubentur, erunt ſicut angeli Dei in cœlo. Nemo ergò miretur, ſi angelis comparentur, quæ angelorum Domino copulantur.* Hanc etiam laudibus celebrat Diuus Bernardus, cùm ait: *Quid caſtitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum ſemine, de hoſtē domeſticum, angelum deniq́; de homine facit: differt quidem inter ſe homo pudicus & angelus, ſed fœlicitate, non virtute. Sed ſi illius caſtitas fœlicior, huius tamen fortior eſſe cognoſcitur. Sola eſt caſtitas, quæ in hoc mortalitatis loco & tempore ſtatum quendam immortalis gloriæ repræſentat.* His Diui Bernardi verbis adijce præconia eiuſdem caſtitatis, quæ habet aureum illud os eloquentiæ Diuus Chriſoſtomus: *Qua re,* ait, *differebant ab Angelis Helias, Haliſeus, Ioannes veræ amatores integritatis? nulla niſi quòd mortali natura conſtabant.* Cùm igitur tanta caſtitatis ſit dignitas & decus, omnibus diligenter cogitandum eſt clericis, vt illam tanquam monile pretioſiſſimum à Saluatore noſtro è cœlo in hunc orbem illatum conſeruent, caueantq́; perpetuò, ne dùm terrenis actibus vitæ ſanctitatem polluentes, vitam minus caſtam degunt, non minus ac Nabad &

Lib. 2. de Virg.

Epiſt. 42.

D. Chriſoſt. de virg. cap. 29.

Leuit.10. Abiud puniantur, qui dum nouo igne thura adolere at-
tentarunt, nouo igne abſumpti ſunt, atq; eodem tempore
2. Reg.6. & loco periêre, quo nefarium crimen admiſerunt. Si Oza
præterea ideo ſubitanea morte extinctus eſt, quod ar-
cam ruentem manibus non expiatis fulcire conatus
eſt, quid non periculi putas eos manere, qui tremenda
corporis & ſanguinis Chriſti myſteria non ſolummodò
debito honore non tangunt, ſed etiam illa intra ſe in-
1. Cor.11. dignè ſumentes, ſeipſos, vt Apoſtoli verbis dicam, reos
corporis & ſanguinis Chriſti conſtituunt? Inſuper quàm
magnam eorum debere eſſe ſanctitatem, innocentiam,
animiq; candorem & puritatem, qui carneis manibus
cœleſtia tractant, Diuus Chriſoſtomus ita graui orati-
one commendat, vt ea digna ſit, quæ in medium pro-
Lib.6. de Sacerdotio. feratur: *Neceſſe eſt*, inquit, *ſacerdotem ſic eſſe purum, vt ſi in
ipſis cœlis collocatus, inter cœleſtes illas virtutes medius ſtaret,
eiusq; animum ſolaribus radijs puriorem eſſe oportet, vt ne quan-
do Spiritus Sanctus deſolatum illum relinquat, vt dicere poſſit:
Viuo equidem non amplius ego, viuit autem in me Chriſtus.
Eum enim, qui pro ciuitate tota, imò verò pro vniuerſo terrarum
orbe legatus intercedit, deprecatorq; eſt apud Deum, vt hominum
omnium non viuentium tantùm, ſed etiam mortuorum peccatis
propitius fiat, qualem quæſo eſſe oportet? cùm autem ille & ſpi-
ritum ſanctum inuocauerit, ſacrificiumq; illud honore & reuerentia
pleniſſimum perfecerit, communi omnium Domino, manibus aſſi-
duè pertractato, quæro ex te quoto illum ordine collocabimus? quan-
tam autem ab eo integritatem exigemus? quantam religionem?
conſidera enim, quales manus illas adminiſtrantes eſſe oporteat?
qualem linguam, quæ verba illa effundant? qua deniq; re non pu-
riorem ſanctioremq; eſſe conueniat animam, quæ tantum illum
tamq; dignum ſpiritum receperit? per id tempus & Angeli Sa-
cerdoti aſſident, & cœleſtium poteſtatum vniuerſus ordo clamores
excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur,
angelorum choris plenus eſt, luminis inſtar vniuerſum orbem illu-
ſtrantis.*

ſtrantis. Et hæc quidem de caſtitatis excellentia, quam Epiſcopi ſuis candidatis, quando eos candida veſte induunt, commendare ſolent.

QVOD ad tertiam de Cæreo accenſo cæremoniam attinet, quid per eam nobis intelligendum ſit, Chriſtus Redemptor noſter per hæc verba inſinuat: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Luc 12. Homil.13.
Quæ Diuus Gregorius hoc modo exponit: *Lumbos* inquit, *præcingimus, cùm carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Sed quia minus eſt, mala non agere, niſi etiam quiſq; ſtudeat & bonis operibus inſudare, protinus additur: Et lucernæ ardentes in manibus veſtris: Lucernas quippe ardentes in manibus tenemus, cùm per bona opera proximis noſtris lucis exempla monſtramus, de quibus profectò operibus Dominus dicit: Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in Cælis eſt. Duo autem ſunt, quæ iubentur; & lumbos reſtringere, & lucernas tenere; vt & munditia ſit caſtitatis in corpore, & lumen veritatis in operatione. Redemptori etenim noſtro, vnum ſine altero placere nequaquam poteſt: ſi aut is, qui bona agit, adhuc luxuriæ inquinamenta non deſerit: aut is, qui caſtitate præeminet, nec dum ſe per bona opera exercet: Nec caſtitas ergo magna eſt ſine bono opere; nec bonum opus eſt aliquid ſine caſtitate: ſed ſi vtrumq; agitur, reſtat, vt quiſquis ille ſit, ſpe ad ſupernam patriam tendat, & nequaquam ſe à vitÿs pro huius mundi honeſtate contineat.* Quibus verbis Diuus Gregorius dilucidè ſatis deducit, toto eos cœlo errare, qui ſibimet blandientes putant ſe ſatis præſtare, ſi à peccatis abſtineant, furta nulla committant, nihil rapiant, nulla vulnera infligant, homicidia nulla patrent, neminem lædant, aut alio grauiori ſcelere, vel admiſſo turpiori flagitio nullo, diuinum numen offendant, & interim ſocordia torpeſcant, ſtudioſè agere negligant, & nulla bona opera faciant, cùm non minus ad labores, etiam ipſa ſacra ſcriptura teſte, quàm aues ad volatum nati, Iob.5.
ſumus.

ſumus. Nouimus enim duas eſſe iuſtitiæ partes, declinare à malo, & facere bonum, quas ambas perficiat neceſſe eſt homo, ſi iuſtitiæ virtuti ſatisfacere & Deo placere cupiat. Præclara eſt illa Diui Hieronimi ſententia: *Non tibi ſufficit à malis otioſam eſſe, ſi otioſa fueris à bonis. Omnis arbor quæ non facit bonum fructum excidetur & in ignem mittetur, & blandimur nobis, ſi malis fructibus non grauemur, qui damnandi ſumus, ſi à bonis ſteriles fuerimus. Sic abſcindet pater omnem palmitem non ferentem fructum in filio, & qui acceptum talentum in ſudario abſcondit, quaſi inutilis ſeruus & nequam damnatur à Domino, nec minuiſſe ſolùm, ſed & non auxiſſe, damnabile eſt.* Romani illi gentium victores, licet diuini Numinis fuerint expertes, tamen templum Honoris, Virtutis templo coniunctum voluerunt, vt omnibus manifeſtum redderent, ad veros honores non niſi per virtutum labores perueniri poſſe. Si igitur Ethnici à veritatis luce planè alieni, otia tantopere deteſtati ſunt, quantò magis nos veram Dei agnitionem habentes, virtutum ſtudijs incumbere oportet? quantò magis lucernas perpetuò geſtare debent in manibus, bonisq; operibus abundare, qui ad militiam ſeſe Eccleſiaſticam accingunt? qui ad Eccleſiæ gubernacula ſumuntur? qui in paſtores, vt præſint populo Dei, deputantur? Sanctus Nicolaus Myrcorum Epiſcopus, cùm ad Epiſcopatum inuitus traheretur, ſeipſum exhortans, dixiſſe fertur: *Hic dies Nicolae, hic locus alios mores poſtulat. Iam non tibi ſed alijs erit viuendum, atq; ita viuendum, vt populus Chriſtianus tua doctrina, tua ſanctimonia, tuis exemplis ad illam beatam, & ſempiternam vitam in cœlis, quæ vera eſt vita incitetur, & prouocetur.* Iſtis itaq;, qui ad ſtatum Eccleſiaſticum ſe conferunt, per Cæreos accenſos inſinuatum volunt Epiſcopi, vt meminerint ſe non ad otia, quæ Sathanæ puluinaria ſunt, ſed ad negotia & labores ſuſcipi, qui populum ſibi commiſſum verbo diuino, bonoq; vitæ exemplo paſcant, gregem fidei ſuæ con-

Pſal. 36.

Libello ad Demetriad.

Vide Vicelium in ſuo hagiologio fol. 36.

ſuæ concreditum ſæpius inſtar vigilis paſtoris circumeant, ab hoſtium inſidijs cuſtodiant, oues errantes ad Eccleſiæ Catholicæ ouile reuocent, populum ſibi ſubiectum omni charitate complectantur, puſillanimes animent, ægros anxioſq; conſolentur, oppreſſos defendant, ignauos & inertes ſtimulent, & omnem deniq; lapidem moueant, *vt increduli* (Diui Bernardi verbis vtor) *conuertantur ad fidem, conuerſi non auertantur, auerſi reuertantur, peruerſi ordinentur ad rectitudinem, ſubuerſi ad veritatem reuocentur, ſubuerſores conuincantur, vt vel emendentur ipſi, ſi fieri poteſt, vel ſi non, perdant authoritatem, facultatemq́, alios ſubuertendi.* Hac in re omnibus animarum paſtoribus præclarum exemplum reliquit, Diuus Gregorius Neocæſarienſis Epiſcopus, qui ob miraculorum à ſe patratorum multitudinem & præſtantiam Thaumaturgus eſt appellatus. Is cùm in mortis agone ex aſtantibus quæſiuiſſet, quotnam in ciuitate ſupereſſent infideles, & ſeptemdecim tantùm reliquos eſſe intellexiſſet, in hæc verba prorupit: Gratias tibi ago Deus, nam tot tantùm fuêre Chriſtiani, cùm mihi Epiſcopatus collatus fuit. Diuus Martinus quàm fuerit promptus ad quoſuis labores pro fidei Chriſtianæ dilatatione ſubeundos, hæc eius in fine vitæ à ſe prolata verba indicant: *Domine,* dixit, *ſi populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem.* Tanta is erga oues ſibi commiſſas charitate flagrabat, vt cùm anima eius ad cœleſtem patriam anhelaret, non tamen defuerit illi ardor de Eccleſia Dei benemerendi. Per Cæreos itaq; incenſos omnes clerici ſui admonentur officij, ne ſint deſides, ne ſint otio dediti, ſed eam ob cauſam in Eccleſiam eſſe aſſumptos cogitent, *vt,* Propheta dicente, *euellant, & deſtruant, & diſperdant, & diſſipent, & ædificent, & plantent,* & deniq; vt cęreos ſanctę vitæ præferentes, *in medio,* vt monet Apoſtolus, *nationis prauæ poſiti, luceant ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.*

Lib. 3. de conſid.

Ruff. lib. 2. c. 9. hiſt. Eccleſ.

Seuer. Sulpit. in eius vita.

Hier. 1.

Ad Phil. 2.

EXPLICATA prima Dauidicæ ſententiæ parte, nunc inquirendum nobis eſt, quid Eccleſia Catholica ordines ſuſcepturis per iſta verba, ET CALICIS MEI, inſinuatum velit. Pro quorum elucidatione explicationeq; obſeruandum eſt, calicis nomine in ſacra ſcriptura paſſim tribulationes, paſſiones, atq; piorum hominum perſecutiones & martyria deſignari, quod vel ſola Chriſti Redemptoris noſtri apud Euangeliſtam indicat oratio, qua patrem cœleſtem rogauit, vt à ſe in anguſtijs poſito calix auferretur. Quod eleganter comprobat D. Chriſoſtomus, quando verba illa Dauidis, *Calicem ſalutaris accipiam*, ſic explicat: *Hoc loco calix paſſionem Chriſti nobis declarat, qui orauit, Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Habemus in ſcripturis multos alios calices. Eſt quidam aureus calix Babilonis, è quo biberunt gentes, & inebriatæ ſunt. Aureus calix Babilonis erat, nitor & elegantia verborum gentilis ſapientiæ, quoniam intra ſe habebat letiferum poculum Idololatriæ dogma. Nos qui pſallimus hic, non optamus hunc calicem, ſed calicem patientiæ & certaminibus plenum, nomine Domini obſignatum, quem qui bibit, Spiritus ſancti lætitia impletur, inq; martyrum choro conſtituitur, in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Dum igitur nouo clerico hicce verſiculus, ET CALICIS MEI, legendus proponitur, ipſi animo recolligendum eſt, omnes eos, qui ſe Deo, tanquam vnicæ ſuæ hæreditati, deuouent, ad militiam perpetuam contra Dei, Eccleſiæq; hoſtes deſignari, atq; ipſis calicem patientiæ & doloris, calicem paſſionum & tribulationum, calicem ſudoris & laboris, calicem luctaminis & pugnarum bibendum, & omnia deniq;, quæ hæc miſerijs, calamitatibus, anxietatibus refertiſſima vita continet, flagella, perſecutiones, pericula, conflictus, bella expectanda eſſe. Cogitare, inquam, debet nouus miles, ſe in theatrum tale prodire, in quo cum Baſiliſcis & Aſpidibus, cum rugientibus Leonibus, ſanguinolentis Leopardis, rapaciſſimis Tygridibus, impuriſſimis Vrſis, venenoſis Draconibus, atq;

Math. 26.

In Pſal. 115.

bus, atq; adeò ipſiſmet inferorum portis congrediendum, concertandumq; ſit, quos hoſtes D. Paulus Epheſijs ſuis, eos ad pugnam excitans, ob oculos ſtatuit, dum ſcribit: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* Contra has à D. Paulo commemoratas beſtias infernales, ſapientiſſimus Salomon athletis Chriſti arma præbet, pugnandiq; modũ præſcribit: *Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia, & timore, et præpara animam tuam ad tentationem.* Qua inſigni ſententia omnes voluit commonitos, vt à cacodœmonis inſidijs ſibi caueant, maximè verò eos, qui præ cæteris ſe ad Dei ſeruitutem atq; diuina accingunt miniſteria. Licet enim maligni ſpiritus è cœlorũ deiecti ſedibus, tanto erga hominum genus odio flagrent, vt id velint totum perditum, extinctum, & ad æternæ damnationis barathrum præcipitatum, in eos tamen ſummoperè ſæuiunt, atq; tela ſua venenata torquent, qui ſe ſingulari quadam ratione ad ſeruitutem Dei, totis viribus, contulerunt. Cur ita? quia nimirum intelligunt tales diuino ſpiritu afflatos, hoc vnum animo agitare, vt ſe ex ipſorum faucibus eripiant, & ſolum Deum ſectantes, æternæ ſalutis fiant participes. Hos itaq; tanquã fugitiuos perſequuntur, eorũ fœlicitati inuidentes. Qua de re, rectè D. Gregorius his verbis ſcribit: *Hoſtis noſter adhuc in hac vita nos poſitos, quantò magis ſibi rebellare conſpicit, tantò amplius expugnare contendit. Eos etenim pulſare negligit, quos quieto iure poſſidere ſentit.* Verùm & ipſe Paulus Apoſtolus haud obſcurè idipſum confirmat, cùm Corinthijs ſuggerit, omnes qui piè viuere velint in Ieſu Chriſto, perſecutionem paſſuros eſſe. Quin & Apoſtolus Petrus monet, vt fidei ſcuto contecti, & ſobrietatis virtute armati, contra Diaboli inſidias vigilemus, eò quòd is tanquã Leo rugiens circumeat, quærens quẽ deuoret. Vtitur quidem inueteratus ille humani generis hoſtis artibus &

Epheſ. 4.

Eccleſ. 2.

Lib. Mora. 24. c. 7.

2. Cor. 3.

1. Pet. 5.

 machina-

machinationibus varijs, agit dolis & fraudibus; inſidias ſtruit, expandit retia, laqueos extendit, quibus homines ad omnia ſumma natos fallat, decipiat, è ſuæ dignitatis ſtatu deijciat, eosq; ſempiternę fęlicitatis iucunditate defraudet, quæ tamen omnia fraudulentiſſimorum Stratagematum genera ad duos; quibus nos euertere nititur, modos, D. Auguſtinus reduxiſſe videtur, cùm dicit: Dæmonē eſſe Leonem & Draconē, Terrere vt frangat, blandiri vt decipiat. Blanditur quidem meo iudicio per illa, quæ D. Ioannes Euangeliſta enumerat, & nobis ceu anguem, ceu peſtem fugienda docet: *Nolite*, inquit, *diligere mundum, neq; ea quæ ſunt in mundo. Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Hæc ſunt illa tria dæmonis retia à callidiſſimo, crudeliſſimoq; animarum venatore in pernitiem, in præcipitium, in ruinam humani generis expanſa, quibus ita Chriſti ſeruos inſequitur, vt illaqueet, præhendat, mactet, dilaniet, extinguat. Primùm quidem eius rete carnis voluptatum genus, quàm ſit hominis præſtantia indignum, ipſum nobis inſitum naturæ lumen, vt nullam de ſacræ ſcripturæ documentis, faciam mentionem, manifeſtè oſtendit, dum nemo eſt tā perditæ impudentiæ, aut omni humanitate ita exutus, qui non carnis illas illecebras, fœdas eſſe fateatur, dū eas non niſi clanculū & rubore ſuffuſſus affectatur. De oculorum verò concupiſcentia, altero diaboli reti, ipſius Chriſti Domini noſtri habemus oraculum: *Væ vobis*, ait, *diuitibus*. Quo vno verbo væ, omnem omnium malorum, miſeriarum, calamitatum ſummam complexus videtur. Tertiùm verò rete, quo ſuperbia vitæ continetur, quam periculis plenum ſit, D. Bernardus declarat: *Ambitio ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli opifex, mater hypocriſis, liuoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea ſanctitatis, excæcatrix cordium, ex remedijs morbos creans, generans ex medicina laborem.* Et hæc quidem ſunt

Tract. 10. in Ioan.

1. Ioan. 2.

Luc. 6.

Ser. Ne tempori affixi ſimus.

ſunt illa retia, viam nobis ad cœleſtem patriã præcludẽntia, per quæ, prôh dolor, multa hominũ millia ad intollerandas inferni pœnas indies deturbantur. Terret porrò ſanguinolentus Sathan ſectatores Chriſti, & quos blanditiarum technis, occultis inſidijs, voluptuoſisq; fallacijs ſuperare non poteſt, in eos Tyrannos concitat, qui eoſdem per irriſiones, probra, flagella, exilia, cruciatus, eculeos, torturas, ſartagines, ignes, fornacum flammas, neces, & omnis generis tormenta, à fidei Catholicæ veritate, pietatis ſtudio, ſanctitatisq; gradu deijcere conantur. Omnes neruos contendit Cacadæmon aduerſarius noſter, vt per eiuſmodi inſtrumẽta crudelitatis plena, Chriſti famulos in ſuam Pharaonicam ſeruitutem redigat, ac in miſerrima mancipia ſibi ſubiuget. Hæc ſunt illa telorum genera, quæ hoſtis ille nefarius in Dei ſeruos iaculatur. Hæ ſunt illę Machinæ, quibus Chriſtianæ vitæ fundamenta conuellere nititur. Hęc ſunt illa tormentorum tonitrua, quibus ferreos Catholicæ Eccleſiæ vectes perfringere, fortiſſimaq; Chriſtianæ fidei mœnia quatere, atq; funditus euertere elaborat. Verùm enimverò, nùm proptereа animus abijciendus, atq; pugna erit detrectanda? nùm certamen declinandum, & in turpem noſmetipſos fugam dabimus? nùm venenoſos tortuoſi illius ſerpentis ſybilos expaueſcemus? longè abſit hoc à militibus Chriſti. Strenuus miles & magnanimus, quod ſciat ſibi cum hoſte confligendum, non ob id militiam deſerit, aut cum hoſte conſerere refugit; quin potiùs ad pugnam ſe parat, prælium & certamen ardẽtius expetit, copijs hoſtium alacri animo accelerat; & in hoſtem audacter proruit, vt victor euadat, & de hoſte triumphos agat; ſpolia & præmia perampla deportet. Aduerte quæſo, quomodo exercitatus athleta Chriſti, Paulus Apoſtolus, nos, qui caſtra Chriſti ſequi cupimus, ſpe cœleſtis coronæ ad pugnam forti animo capeſſendam excitet: *Nemo coronabitur, niſi qui* *Ad Tim.* 2.

 legitimè

legitimè certauerit. Ad ſupernæ illius patriæ præmia & gloriam nos item inuitat Ioannes Apoſtolus & Euangeliſta
Apoc. 2. Chriſti: *Qui habet*, dicit, *aurem, audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſijs: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quòd eſt in paradiſo Dei mei.* Et ne mala huius vitæ & varias ante recenſitas calamitates obtendere quis poſſit, iterum Paulus quid vociferetur, attende:
Rom. 8. *Non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Cuius cœleſtis gloriæ ſpe, veteres illi Patres, ſanctiſſimi illi Patriarchæ, & Prophetæ, animati, quę pericula, quas contumelias, quas erũnas, quæ ſupplicia pro veritate, pro iuſtitia, pro Deo, Deique legibus non ſunt perpeſſi?
Heb. 11. *Sancti*, inquit Apoſtolus, *ludibria & verbera experti ſunt, inſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt, circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes anguſtiati ſunt, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & in cauernis terræ.* Non dicam ego de
Hæc ex lib. Geneſeos. Patriarchis illis Abraham, Iſaac & Iacob, quos pietas ſingularis, prudentia, iuſtitia, vno verbo, virtus ſuis omnibus numeris abſoluta commendat, quibus malis & tempeſtatum procellis, cùm in viuis eſſent, fuerint exagitati. Non recenſebo laborioſam, peracerbam, ac ærumnis plenam caſtiſſimi illius Ioſephi vitam, qui poſtquam à fratribus triginta argenteis (hac in re Saluatoris noſtri typum & figuram gerens) Iſmaelitis venundatus, atq; in Ægyptum traductus, in lacu fœtido aſſeruatus fuit, quàm dira & iniqua innocens ſuſtinere & perferre ſit compulſus. Non
Dan. 5. enarrabo vti Daniel, vir diuina prudentia fulgens, truculentis Leonibus obiectus, tresq; illi ſanctiſſimi viri, Si-
Dan. 3. drach, Miſach, & Abdenago in fornacem flammarum pro veritatis confeſſione, ſint iniecti. Non referam Suſan-
Dan. 13. nam caſtitatis laude celebrem matronãm, quomodo ob non rupta pudicitiæ repagula, & conſeruatum continentiæ decus, in extremum vitæ diſcrimen fuerit deducta.

Nec in

Nec in eo morabor, vt aperiam & detegam, alij perplurimi veteris Teſtamenti vitæ, ſanctimonia & ſum̃a innocentia conſpicui homines, de quorum facinoribus glorioſe patratis redundant hyſtoriæ ſacræ, quàm indignam illi à fallaci mundo mercedem acceperint. Illos ego tantùm omni gloria præſtantes, & laudis encomio clariſſimos populi Iſrahelitici patres, & inuictos veritatis præcones vobis ob oculos ponere ſtatui, qui pro diuinis patrijsq; legibus ſanguinem ſuum, conſtantiſſimis animis profuderunt, & millies potius mortem oppetere, quàm latum quidem vnguem à veritatis tramite diſcedere maluerunt. Audite itaq; cœli & obſtupeſcite, quæ horrenda ſcelera, & nefaria inhumanitatis facinora in prophetas Domini fuerint patrata. Magnus propheta Eſaias à Manaſſe Rege Iuda, ſerra lignea diſſectus occubuit. Hieremias in cæno demerſus, tandem apud Taphnas in Ægipto lapidibus obruitur. Ezechiel cerebro è capite extracto, vita deſtituitur. Amos ab Ozia Amaſiæ ſacerdotis filio capite vecte transfixo expirauit. Micheas à Ioram filio Achab regis Iſrahel præcipitio occiditur. Zacharias filius Ioiadæ ſacerdotis à Ioas Rege lapidibus contunditur. Iehu filius Hannani à Baaſa Rege Iſrahel vita priuatur. Multi prophetarum, quorum quidem nomina nobis ſunt incognita, ea tamen ſcripta liber vitæ continet, ab impia Regina Ieſabel ſunt interfecti. Septem fratres Machabæi, nimirum Machabæus, Abner, Machir, Iudas, Achaz, Areth, Iacob, vnà cum matre tanta cum alacritate pro lege Dei mortẽ ſubiuerunt, vt Eccleſia Catholica propterea duxerit eorum feſtum quotannis ſolenniter celebrare. Eleazarus ſcriba morte mulctari maluit, quã contra præceptum diuinum carne veſci porcina, & iunioribus exemplo ſuo offendiculi cauſa exiſtere. Duas mulieres ad præfectum Regis Antiochi, quod natos ſuos circumcidiſſent, delatas, infantibus earum ad vbera ſuſpenſis,

Ita ſcribunt Hebre. vide etiã Euſeb. Ioſeph. li. 10. c. 10. Hiero. & alij. Author operis imperfecti in Math. c. 23. hom. 46. Epiphan. de prophetis. Epiphan. de vita & interitu prophetarum. 2. paralyp. c. 24. 3. Reg. 16. 3. Reg. 18. 2. Mach. 7. Ioſeph. libello de Imperio rationis 2. Mach. 6. 2. Mach. 6.

ſuſpenſis, cùm publicè per ciuitatem circumduxiſſent, per muros ex decreto Regis præcipitârunt impij gentiles.

Marc. 6. Ioannes deniq; Baptiſta, quem ſe ipſo teſte, minui oportebat, an non ob ſolam veritatẽ capite diminutus eſt? Et hi quidẽ ſunt veritatis teſtes omni exceptione maiores & grauiſſimi, & infracti martyres, qui legis Moſaicæ tempore, duriora paſſi, im̃ortalitatis gloriã ſunt adepti. Iam mihi orationẽ ad eos conuertere liceat, qui ſub lege Euangelij & vberioris gratiæ ſtatu, non minori cum animi magnitudine difficillima quæq; ſuperarunt, & omnis generis excogitata longè immaniora ſupplicia magno virtutis robore pertulerunt. Poſtquàm enim ille verè iuſtus Abel, & obedientiſſimus Iſaac, humani generis reparator Chriſtus, agnus ille innocentiſſimus, qui coram tondente os ſuum non aperuit, qui verè languores noſtros portauit, pro toto humano genere mortem ſubijt crudeliſſimam, & ſalutiferæ crucis vexillo expanſo, verbis ac exemplo ſuo omnes fælicitatis æternæ cupidos ad certamina cum aduerſarijs fortiter ineunda inflammauit, ſtatim in ipſo naſcentis Eccleſiæ principio contra mundi Redemptoris ſectatores, bellum exortum, ſuſcitatumq; eſt, cùm varium & multiplex, tùm maximum & exitiale, & à populis, & à Regibus, & ab alijs barbaris & Tyrannis. *Clamauerat,* inquit D. Chriſoſtomus, *Saluator noſter ſuæ paſſionis tempore, Pater ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte, ſed quia obedientiæ nobis formam præbuit, ſubſecutus adiunxit: veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis. De iſto Calice bibit Eccleſia, inebriauit martyres, vt præ nimio amore Chriſti non agnoſcerent proximos carnis ſuæ, neq; patres agnoſcerent filios, neq; filij patres. Inebriauit vino ſanctitatis, non vino erroris.* Quot millia Martyrum ex hoc Chriſti Saluatoris calice biberint, qui diuerſis tormentorum generibus cruciati, victores glorioſi migrarunt in cœlum, oratione compræhendere res planè vltra vires humanas eſt. Sed non abs re me facturũ arbitror,

1. Gen. 4.
1. Gen. 22.
Eſ. 53.

Chriſoſto. Homil. in Pſ. 22. & 116.

arbitror, ſi eos hîc præcipuè in memoriam reuocauero, qui cũ Chriſto Domino noſtro in terris degentes, vitam traduxerunt, quorum Euangelicæ prædicationis ſonus, per totum terrarum orbem percrebuit. Apoſtolos & diſcipulos Domini noſtri intelligo, quorum vitæ integritatis & ferueſcentis charitatis, & mirandæ fortitudinis exempla, cæterarumq; virtutum cõmemoratio nõ poterunt non quemuis, etiam omnino deiectum, deſidem & ignauũ ad quęuis pericula pro fide Catholica fortiter ſubeunda, vehementer incitare. Vino ſummæ ſanctitatis inebriatus fuit beatiſſimus Stephanus Leuita, primus Euangelicæ veritatis teſtis, & martyr, qui non longè poſt Domini ex hoc mundo ad patrem diſceſſum, à Iudæis lapidatus eſt. Petrus Apoſtolorum princeps, Diuusq; Paulus gentium doctor, viri fide, eruditione, & miraculorum operatione clariſſimi, Romæ eodem anno & die, ille pedibus in cœlum verſis cruci affixus, hic verò capite plexus eſt. Andreas Apoſtolus apud Patras ab Ægea proconſule crucis ſupplicio interemptus. Iacobus Ioannis Chriſti Ieſu dilecti diſcipuli frater, ab Herode Agrippa ſeniore capite ſecto interfectus. Ioannes, cuius iam mentio facta, filius Zebedei, cui virgini, virgo Chriſtus, virginem matrem è cruce cõmendauit, in inſulam Pathmos relegatus, & in vas olei feruentis à Domitiano Imperatore iniectus, qui inde, licet Dei adiutrice gratia, liber euaſerit, nec violenta morte fuerit abreptus, ſapientiſſimorum tamen iudicio martirij coronam promeritus eſt. Thomas Apoſtolus in India lanceis transfixus, animam Deo creatori reddidit. Philippus in Aſia cruci appenſus, & lapidibus obrutus, ex hac vita migrauit. Iacobus, quem fratrem Domini Euangeliſtæ appellant, primus Hieroſolimorum Epiſcopus, è pinna templi præcipitatus confractis cruribus, atq; fulconis fuſte percuſſus interijt. Bartholomæus in maiori Armenia, pelle ipſi detracta, & capite abſciſſo, martyrium

Actor. 7.

Hæc, quæ ſequuntur, ex martyrologijs ſanctorum ſunt deprompta.

compleuit. Mathæus è telonio ad Apoſtolatus Euangeliſtæq; munus euocatus, in Æthiopia ſacra Miſſæ myſteria peragens, ad altare cõfoſſus, vita deceſſit. Simon Chananæus & Thadæus, in Euangelijs aliàs Iudas nominatus, in perſide trucidati, glorioſo martyrio ſanctiſſimũ Ieſu Chriſti nomẽ illuſtrarunt. Mathias in locũ Iudæ Domini ſui proditoris ab Apoſtolis ſubrogatus, primùm à Iudæis lapidatus, poſtmodum ſecuri percuſſus vitam finiuit. Barnabas cum Paulo Doctore gentium Apoſtolus ordinatus, in Cypro patria ſua à Iudæis extra ciuitatem Salaminam, funibus ad collum ligatis tractus, igniq; conſumptus, Apoſtolatum illuſtri martyrio decorauit. Lucas Euangeliſta pro Chriſti nomine paſſus, in prouincia Bythiniæ ex hac vita diſceſſit. Marcus Euangeliſta pro fide Chriſti Alexandriæ funibus vinctus, per vepres & ſaxa raptatus, & tandem in carcerem coniectus, vitam cum morte commutauit. Martyres verò illos, qui & Chriſti redemptoris & Apoſtolorum exemplis extimulati, pœnas martyrij grauiſſimas, lubentiſſimis animis pro Chriſti nomine ſuſtinuerunt, atq; flagris cæſi, equuleis ſuſpenſi, in carcere macerati, in inſulas venenoſas relegati, ad metalla, beſtiasq; damnati, in ignes præcipites acti, telis lanceisq; confixi, capitibus truncati, gladijs ſecuribusq; cæſi, feris expoſiti, vnguibus ferreis excruciati, plumbo liquefacto perfuſi, inedia confecti, fuſtibus contuſi, martyrij palmas glorioſè conſecuti ſunt, quis enumeret? multas Martyrũ myriadas Romani Imperatores, Ethniciq; Tyranni ac Dynaſtæ crudeliſſimis tormentis ſuſtulerunt, vt rectè cum propheta Dauid exclamare

Pſal. 78. poſſimus: *Poſuerunt morticinia ſeruorum tuorum eſcas volatilibus Cœli, carnes ſanctorum tuorum beſtijs terræ.* Porrò Arriani, Gothi, Vandali alijq; à fide aberrantes hæretici, Imperatorum Ethnicorum crudelitatem imitati, quæ non martyria inaudita & horrenda Catholicis intulerunt? quas non cala-

non calamitates, & miſerias inuexerunt? planè barbaras & inauditas ſtrages, moto in Catholicos bello, ædiderunt, multa oppida & ciuitates diripuerunt, templa monaſteriaq; ſpoliarunt, iniectis flammis deuaſtarunt, prouincias paſſim populati, vbiq; crudelitatis veſtigia reliquerunt. Quorum truculenta facinora in varijs Chriſtianiſmi locis perpetrata apud varios, qui Martyrum res geſtas, præclarasq; confeſſiones atq; certamina memoriæ commendarunt, litteris conſignata habentur. Verùm miſſis veteribus ad noſtra, quæ nos circumſtant mala veniamus, quæ cùm attentius animo reuoluo & accuratius mecum ſingula examino, horret ea vel cogitare animus. In quæ tempora prôh dolor, nos reſeruati ſumus? in quam calamitoſam luctuoſamq; eheû incidimus ætatem? Catholica, Apoſtolica, Romana Eccleſia multipliciter licet oppugnata, vexata, agitata hactenus per mille propè & ſexcentos annos, firma tamen immota, inuiolataq; perſeuerauit, fidei puritatem continuò conſeruauit, Religionis integritatem conſtanter retinuit, hæreſes tùm multas, tùm varias à vaniſſimis Eccleſiæ deſertoribus, & ab auita maiorum fide Apoſtatis effictas, inaniterq; excogitatas, confutatas deſtruxit, extinxit, expugnauit. At verò poſtquam noſtra ætate multi pſeudoprophetæ, erroris vertiginisq; ſpiritu pleni, exorti ſunt, tot homines à veritatis via abduxerunt, tantamq; iacturam fecerunt, vt eam ſe nemo verbis aut voce aſſequi poſſe confidat. Sola deteſtabilis Caluini ſanguinolenta ſecta, vt de alijs nil dicam, innumerabiles chriſtianorū animas non tam vafra ſua doctrina, quàm tetris minis & exquiſitis pœnis in tartara præcipitauit, multas corporū chiliades interfecit, multas Reſpub. Prouincias, Regna, atq; Ciuitates deuaſtauit, euertit. Ioannes Viſcherus Epiſcopus Roffenſis, vir ſic eruditus & moribus integer, vt almo ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Colle-

 gio fue-

gio fuerit aſcriptus, propterea quòd Romanæ Eccleſiæ authoritatem tutatus eſſet; ab iniquo Angliæ Rege Henrico ſecuri percuti iubetur. Ab eodem Rege eandem ipſam ob cauſam Thomas Morus Ordinis Equeſtris, Angliciq; Regni Cancellarius morti adiudicatus, peremptus eſt. Sub eodem Henrico pro defenſione primatus Romanæ Eccleſiæ circiter nonaginta ſacerdotes, inter quos erant Franciſcani plurimi, Chartuſiani permulti, religioſiſſima hominum genera, equuleis crudeliter torti, in terram proſtrati & reſupini vimineis cratibus ad locum ſupplicij tracti, ſtrangulati, patibulis appenſi, præciſis laqueis ſemiuiui in terram deiecti, pudendis partibus reſectis, diuiſis ventribus, palpitantibus etiam cordibus in rogũ iniectis, atq; amputatis capitibus in quatuor partes diſſecti, acceptaq; mortis ſententia mactati ſunt. Nec leuiora, nec pauciora Huggonotæ in Gallia, cùm primũ Regi ſuo rebellarunt, in Catholicos exercuerunt, qui vt cultu perfidiæ illis nõ diſſimiles, ſic rabie, furore, & improbitate in horrendis mundo exhibendis ſanguinolentis ſpectaculis pares ſaltem, ſi non ſuperiores extiterunt. Quamplurimos è S. Franciſci familia patres atris cuſtodijs manciparunt, omnis humanitatis obliti, præciſis virilibus occiderunt, corpora eorum in latrinas proiecerunt, ex patibulis, ex arboribus ſuſpenderunt. Multos inſuper Catholicorum, binos & binos colligatos, in carceres incluſerunt, & omnem viuendi alimoniam, donec fame & inedia perirent, ſubtraxerunt; alios funibus ſummè extenſis diſiecerunt, & ſic medios diſſectos barbarico tormento trucidarunt; aliquos ſtipitibus alligarunt, à tergo ignem accendentes, vt longioribus doloribus paulatim arderent, & igne lento conſumerentur; Aliquibus oleum bulliens in os infuderunt; aliquos ciſtæ perforatæ incluſerunt, & tantam feruentis olei vim eis ſuperinfuderunt, vt animam his cruciatibus victi exhala-

rent;

rent; Alijs linguas mento perforato euulſerunt; alios excoriatis candenti ferro pedibus iugularunt; alios viuos capitetenus defoderunt; alios vno pede ſuſpenſos ſuffocarũt; alios ſclopetis, telisq; traiecerunt; multorũ presbyterorum ventres diſſecuerunt, & eorum inteſtina paulatim baculis circumuoluta euulſerunt; multos ſacerdotum adhuc ſpirantes defoderunt; multis nares & aures amputarunt, oculos eruerunt. Presbyteri cuiuſdam, vt erat viuus, ventrem cum ferro aperuerunt, & impoſita auena, præſepe & pabulum equis ſuis præbuerunt. Ingentem Catholicorum numerum pugionibus trucidarunt, inq; puteos iniecerunt. Quadraginta Religioſos Societatis Ieſu ad prouinciam Braſilienſem pro Euangelij prædicatione à ſuis ſuperioribus ablegatos, in nauigatione deprehenſos, crudeliſſimè necatos in mare abiecerunt, & vt vno verbo dicam, tam multa variaq; tormentorũ, contumeliarumq; genera Catholicis vbiq; intulerunt, tamq; horribilia ſcelera paſſim commiſerunt, vt facilè quis valeat dignoſcere, qualis hæc Huggonotica arbor eſſe debeat, quæ tàm crudeles ſanguineosq; fructus protrudat. Iam de Geuſijs Belgicis quid referam? quid ipſi non, cùm iugum principis ſui naturalis, Regis Hiſpaniæ, optimè de ſe meriti, excuterent; quid dico, rebelles facti, in Eccleſiam Catholicam non machinati ſunt? miſerandum planè in modum ſœuierunt illi barbari tyranni, in illos cùmprimis, qui ſingulari religionis cultu, mundo abdicato, Deo ſeſe deuouerunt. Proditum literis eſt, quomodo Gorcouij quendam S. Franciſci inſtituti præpoſitum, vna cum decem ordinis ſui profeſſis, laqueis non minus ignominioſo, quàm peracerbo ſupplicij genere ſuſtulerunt, ſimili pœna plectentes alios quoſdã ſub Regula S. Dominici Chriſto Domino militãtes, & vt nemini ſe parcere palàm facerẽt, etiam Parrochos nonnullos patibulis ſuſpenderunt, qui tandem eò impietatis ſunt progreſſi, vt ibidem Ieſu Chri-

ſti crucifixi ſacram imaginẽ, ſicut & ſacroſanctam Euchariſtiæ hoſtiam, cuidam presbytero è manibus extortam, non veriti ſint patibulo (prôh ſcelus) affigere. Ruremundæ Carthuſiani & alij Monachi, Sacerdotes item viginti ſex crudeliter interempti ſunt. Andenardæ multi Sacerdotes, Monachi, quin & Epiſcopus deſignatus Dauentrienſis, & alij inclementiſſimè vulnerati, pedibus conculcati, varijsq; iniurijs & opprobrijs affecti, viui capitetenus (quæ capita ludentes globis pro ſcopis habuerunt) defoſſi, & alij non pauci præcipites in fluuios iacti ſunt. Delphis Batauiæ multi Religioſi viri pedibus & manibus truncatis, enecati ſunt. Sanè tot & tanta inhumanitatis facinora in Catholicos tàm in Belgio quàm in Gallia, alijsq; locis ab hæreticis peracta ſunt, vt patientiſſimi illi Martyres

Pſal. 43. cum Pſalmographo meritò exclamare potuerint: *Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.* Hîc demùm ſilentio præterire nequeo, in Anglia, ſub Eliſabethæ Reginæ imperio, hoſtiles perſecutiones, & terribiles Catholicis illatas cædes. Furens furit furioſa Regina in profitentes Maiorum noſtrorum Religionem, & quos vbiuis in Angliæ regno, facta vndiq; diligenti diſquiſitione inuenire poteſt, eos mox comprehendi iubet, comprehenſos vincit, vinctos putidis, horridisq; carceribus mandat, diuexat, excruciat. Quot ex Socie: Ieſu patres, quot ſacerdotes, quot nobiles, atq; alij Catholici innumeri in turri illa Londinenſi quæſtionibus ſubiecti, aculeis ferreis diſcerpti, longioribus acubus ſub vnguibus cruciati, ſtrangulati, ſclopetis petiti, pellibus vrſinis inſuti, infeſtiſſimisq; Angliæ moloſſis obiecti, in rogum præcipitati, combuſti, è medioq; ſublati ſint, quis oratione perſequatur? Scatet terra Anglica purpureo innocentium perfuſa cruore, atq; adeò non minus quam olim Romana vrbs, innocuo occiſorum ſanguine tota madet. Barbaries, furor & immanitas ſatellitum iſtorum Sathanæ, Huggono-

Huggonotorum ſcilicet, Geuſiorum, aliorumq́; peſtilentiſſimorum hæreticorum eò illos impulit, vt non tantùm iam commemoratos furioſos inſultus aduerſus Chriſti fideles facerent, ſed etiam templa, monaſteria, aliaq́; ſacratiora loca à maioribus noſtris ad inuocandum Deum, eiq́; ſacrificandum conſtituta inuaſerint, expilarint, exciderint, funditus euerterint. Solus Henricus Angliæ Rex ſacrarum ædium decem millia, euoluto vix vno anno demolitus fertur. Simul etiam viua Dei templa aggrediens, ad centum mille religioſas & Deo deuotas vtriusq; ſexus perſonas, nulla voti & ſanctioris promiſſi cura habita, reiecto habitu ab ordine, & religionis inſtituto abſtraxit, atq; mundi voluptatisq; illecebris irretiuit. ô grauem, acerbam, miſeramq́; fratrum noſtrorum, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ obedientiſſimorum filiorum conditionem? *Tu exurgens Domine miſereberis Sion, quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus.* Sed vt huius meæ lamentationis finem faciam, infinita fuêre martyrum millia, qui truculentiſſimorum Eccleſiæ hoſtium ſupplicia, admiranda patientia vicerunt, plurimisq́; tormentis diuina virtute ſuperatis, ex hac vita in cœleſtem tranſlati ſunt. Non propoſiti honores, non vltrò oblatæ dignitates, opes & diuitiæ, non munera vlla, aut promiſſa principum magnifica licet, aut quantumuis ampliſſima præmia, à recti ſententia eos amouere potuerunt, ſed in ſancto propoſito & Chriſtiani nominis confeſſione immoti perſiſtentes, ipſos Romanos principes, vrbium, prouinciarum, regnorumq́; victores, expugnatoresq́; potentiſſimos vnà cum vrbe, in orbe ſuperarunt. Superarunt inquam illos, pluresq́; eorum ad fidei lumen deduxerunt, non armis, aut alijs mundi ſubſidijs, ſed fide, patientia, verbi diuini prædicatione. Vino charitatis ita erant inebriati, vt crudelis tyrannorum impietas tanta excogitare non valuerit, quin non ſolum grauiora, & crudeliora

Pſal. 101.

deliora ſufferre paratiſſimi eſſent, ſed etiam pro eorundem ſalute & incolumitate, à quibus indigniſſimè tractabantur, diuinum implorarint exorarintq; auxilium. Hanc eorum omnem rationem excedentem tolerantiam, ac inuictum animi robur intuens Sanctus Cyprianus, in has

Lib.2.Ep.6. eorum laudes prorumpit: *Quibus ego vos laudibus prædicem fortiſſimi martyres? robur pectoris, perſeuerantiam fidei quo præconio vocis exornem? toleraſtis vſq; ad conſummationem gloriæ duriſſimam quæſtionem, nec ceſſiſtis ſupplicijs, ſed vobis potius ſupplicia ceſſerunt. Finem doloribus, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt. Laniena grauior adhoc diu perſeuerauit, non vt ſtantem fidem deijceret, ſed vt homines Dei ad Deum velocius mitteret.* Et poſt pauca: *Steterunt torti torquentibus fortiores, & pulſantes ac laniantes vngulas, pulſata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem ſuperare non potuit, ſæuiens diu plaga repetita, quamuis rupta compage viſcerum torquerentur in ſeruis Dei iam non membra, ſed vulnera. Fluebat ſanguis, qui incendium perſecutionis extingueret, qui flammas & ignes gehennæ glorioſo cruore ſopiret. Pretioſa mors hæc, quæ emit immortalitatem pretio ſui ſanguinis, quæ accepit coronam de conſummatione virtutis.*

AT forſan, LEOPOLDE Sereniſſime, hæc mala bonis, & Deo ſe tradentibus obuia & parata tibi attendenti, terrorem inijcient, teq; animo puſillum reddent, atq; proinde verſando apud te ipſum illud Chriſti

Math. 26. obijcies, ac dices: *Spiritus quidem promptus eſt, Caro autem infirma,* videriq; tibi acerbiora & grauiora hæc, quæ per calicem Domini proponuntur, quàm ea non modò à te, vtpote non ignaro virium tuarum, ſed à quouis etiam fortiſſimo perferri queant. Intelligo equidem quid velis, Auguſte princeps, & quòd virtuti tuæ parum tribuis, næ tu rectè facis. Verùm alta tibi mente reputandum eſt, ſolere

Sap. 8. Deum Opti: Maximum, qui teſte Salomone, *Omnia diſponit ſuauiter,* bona ſua ita diſtribuere, vt quos ijs remuneratos vult, certis quibusdam experimentis probet, exerceatq;

erceatq́;, vt ſuis muneribus digni reddantur. Exemplis hoc ex ſacris literis conteſtatum facere difficile non eſt. Nemo ignorat, quantumuis mediocriter ſacrarum tinctus cognitione literarum, Deum præpotentem populo Iſrahelitico promiſiſſe terram mel & lac fluentem, omniq́; rerum copia abundantem, nec tamen illam continuo dediſſe, ſed per quadraginta annos poſſeſſionem eiusdem diſtuliſſe, donec varijs experimentis probati, exercitatiq́; eius fierent participes. An non propheta Samuel in Regem Iſrahel inunxit Dauidem, & tamen is regnum non niſi multis laboribus, periculis, erumnis renouatus agitatusque obtinuit. Agnoſcens hoc honeſtiſſima, ſimul & ſanctiſſima vidua Iudith ſic ſuũ conſolata eſt in tribulatione conſtitutum populum: *Memores eſtote, quia tentati ſunt patres noſtri, vt probarentur, ſi verè colerent Deum ſuum. Abraham tentatus & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus eſt. Sic Iſaac, ſic Iacob, ſic Moiſes, & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes tranſierunt fideles.* Similia docet Diuus Iacobus: *Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, ſcientes, quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, vt ſitis perfecti & integri in nullo deficientes.* Porrò: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Hanc autem coronam vitæ, quæ omnibus Chriſti fidelibus, de Carne, de Mundo, de Morte, de Diabolo hoſtibus noſtris triumphos agentibus, à Deo omnium bonorum remuneratore reſeruatur, qualis in illa viuentium terra ſit futura, Diuus Ioannes in ſuæ Apocalypſeos libro demonſtrat, in quo prophætizat eam fore ornatam fulgentemq́; duodecim ſtellis: Stella nimirum ſanitatis, quæ omnem excludat infirmitatem: Stella Iuuentutis, quæ libera ſit ab omni ſenectute: Stella ſaturitatis, quæ exiſtat omni tædio vacua: Stella Libertatis, cui nullum obſtet impedimentum:

Iudith. 8.

Epiſt. ca. 1.

cap. 12.

dimentum : Stella Pulchritudinis, in qua nulla hæreat macula: Stella Immortalitatis, cui nec ipſa Mors dominari queat: Stella Abundantiæ, quam nulla vexet penuria: Stella Securitatis, cui omnis abſit timor: Stella Cognitionis, cui cedat omnis ignorantia: Stella Honoris, vbi non habeat locum contumelia: Stella Pacis, quæ non admittat perturbationem: Stella Gaudij, vbi nullus cruciet dolor. Ex quibus omnibus apparet, quantum lucri, atq; commodi ex tribulationum moleſtijs capiamus. Non enim caſu & fortuitò, ſed ex Dei ſingulari prouidentia eò iuſtis hæ quidem vexationes immittuntur, quò huiuſmodi purgentur à vitijs, eorumq; virtus præſtantior & illu-

Eccleſ. 27. ſtrior euadat. *Vaſa figuli* affirmat ſapiens, *probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis.* Hoc igitur teſtimonio ſpiritus diuini, iuſtis vexatio eſt, quod auro & thuri ignis, & ferro lima eſt. Quis cauterium inuſtum vulnus non diceret? remedium tamen vulneris id eſſe, nemo negabit vnquam: ita vexationes & tribulationes mala quidem omnino eſſe videntur, ſed reuera malorum præſentiſſima & tutiſſima remedia. His adijce, quæ ipſe Dominus & Magiſter Chriſtus in monte Thabor conſidens, diſcipulos ſuos docens tradidit, vbi non huius perituri ſæculi abundantes diuitijs, non quos ſæculum hoc fælices prædicat, non qui hic delitijs affluunt, & mundi blanditijs tumeſcunt, ſed hîc egentes, hîc deſpectos, hîc anguſtiatos, hîc afflictos, hîc vexatos & tribulatos Beatos di-

Math. 5. cit: *Beati*, inquit, *qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorū.* Huc ſpectant, quæ Diuus

Ser. de Martyribus tom. 3. Chriſoſtomus his congruenter ſcripſit, dicens: *Vt enim infirmatur peccator aduerſis, ita iuſtus tentationibus roboratur. Sic dimicarunt aduerſus peccatum ſancti, ſic & laborando fortiores & moriendo victores effecti ſunt. Nullus Athletes ſine certamine fortior dici, nullus ſine victoria poterit coronari. Nemo miles ſine præmio hoſtem ſubiecit: nemo ſine bello imperatorem promeruit.* Habes ex

his

his breuiter Deum fideles ſuos varijs tentationum perturbationibus examinare. At eſt nihilominus, quod te generoſe Tyro, & omnes Chriſti milites in hac rerum aduerſarum acie belligerantes, erigere, corroborare, & conſolari debet, quod miſericors Deus omnes illas calamitates miſeriasq; ita moderetur, cohibeat, & ope conſolationis toleratu faciles reddat, vt non tantum victi non ſuccumbant, ſed etiam ipſimet tentationum tribulationibus, immenſam de ſpe cœleſti lætitiam & voluptatem percipiant. Quot fortiſſimorum Martyrum chori, ſpe futuræ gloriæ ſubleuati, & conſolatione S. Spiritus confirmati, cunctos à Tyrannis ſibi illatos dolores cum gaudio ſuſceperunt? plenæ ſunt eiuſmodi exemplorum fide digniſſimæ de Martyrum victorijs & triumphis conſcriptæ hyſtoriæ. An non ipſimet Apoſtoli flagellis cæſi, ibant gaudentes, vt ſacra refert hyſtoria, à conſpectu concilij, quod pro nomine Ieſu contumeliam pati digni eſſent habiti? *Si tentationes*, ait Hieronimus Platus, *ex ſola dæmonis prouenirent malitia, vt quas & quantas ille vellet, ingerere poſſet, iure ac meritò eſſent formidandæ. Nunc verò, cùm nequam ille ne mouere quidem ſe poſſit ſine Dei iuſſu, non licet dubitare, quin Bonitas illa pro ſuo in nos amore paterno ac prouidentia ita inimici inſultus, ex virium noſtrarum menſura moderatura ſit, vt non ſolum non ſupra, quàm poſſumus, ſed etiam multo minus quam poſſimus tentari nos ſinat.* Quod quidem ipſum non minus appoſitè quam venuſtè hac ſimilitudine Beatus Ephrem commonſtrat: *Si homines*, ait, *tam parua prudentia præditi ſciunt diſcernere quantum onus & pondus ſingula iumenta ferre queant, tantumq; imponunt, quantum eorum vires tolerent; Si etiam figulus vaſa efformans nouit, quanto tempore ea in igni relinqui oporteat, ne ſi diutius relinquat adurantur, ſin minus diſſoluantur: quanto magis Deus, cuius eſt infinita ſapientia, nouit quibus tentationibus egeant animæ ipſi placere volentes, neq; maiores permittet, quam ipſarum vtilitati conducat.* Sed vt de hac

Act. 5.

Lib. 3. de bono ſtatu Religioſi C. 18.

Serm. de patientia.

 veritate

veritate ex ſe aliàs certiſſima ambigendi locus nullus relinquatur, accedat his teſtis, quo non grauior alter, Diuus

1. Cor. 10. Paulus Apoſtolus, qui ita ſcribit Corinthijs: *Fidelis eſt Deus, qui non patitur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere.* Quæ eius ſententia tam clara eſt, vt nulla planè egeat elucidatione. Hortatur nos vt ſimus animo forti, cogitatus noſtros in

Pſal. 90. Deum iactemus, cum ſit is ipſe pars non tantũ hæreditatis, ſed & calicis noſtri, hoc eſt, cùm *Ipſe*, vt Prophetæ verba cum eiusdem verbis exponam, *nobiſcum ſit in tribulatio-*

Philip. 4. *ne*, & nos, *In eo*, vt nos ſolatur Apoſtolus, *omnia poſſimus, qui nos confortat.*

AD vltimam verſiculi noſtri Dauidici particulam illuſtrandam me recipio. Ea hæc eſt: TV ES QVI RESTITVES HÆREDITATEM MEAM MIHI. Quid hæreditatis nomine ſignificetur, iam à me explicatum eſt, ſummum nimirum illud bonum, qui eſt immortalis, ſempiternusq́; Deus, in quo ſolo perfecta, omnibusq́; numeris abſoluta, eſt conſtituta beatitudo, & in ſempiternum manſura fœlicitas. Non me latet quidẽ, veteres Philoſophos diuinæ veritatis ignaros, vltimum hominis finem, & beatitudinem in rebus creatis collocaſſe, de qui-

Lib. 3. diui. inſtit. ca. 17. bus ita loquitur Lactantius Firmianus: *Epicurus ſummum bonum in voluptate animæ eſſet cenſet, Ariſtippus in voluptate corporis, Calliphon & Dÿomachus Cyrenaici honeſtatem cum voluptate coniunxerunt, Diodorus in priuatione doloris ſummum bonum poſuit, Hieronimus in non dolendo, peripathetici autem in bonis animi & corporis & fortunæ, Herilli ſummum bonum eſt ſcientia, Zenonis cum natura congruenter viuere, quorundam Stoicorum virtutem ſequi, Ariſtoteles in honeſtate & virtute ſummum bonum collocauit.* Sed inania ſunt & falſa hæc philoſophorum dog-

Pſal. 93. mata, & *vana ſunt*, vt Propheta loquitur, *hominum cogitationes.* Errant enim, qui fœlicitatem in voluptate ponunt, dum quadrupedem inter & hominem, nihil intereſſe putant.

eſſe putant. Falluntur & illi, qui eam ipſam in fortunis, honoribusq́; conſtitutam eſſe ſibi perſuadent. Fœlicitate enim quid conſtantius, fortuna verò etiam hominum opinione quid volubilius? quid fallacius? Valeant etiam illi, qui ſupremam fœlicitatem in virtute eſſe tuentur, cum facillimè accidat, vt qui virtute polleat, in miſerijs & luctu, deformis mendicus æger degat, quin etiam & ex virtute ipſa non rarò excidat. Vera verò beatitudo hominis obiectiua, vt ſcholæ loquuntur, in nullo bono creato, ſed in vno & ſolo Deo, qui verbo condidit omnia, ſita eſt, & hoc ſacra ſcriptura diuinitus reuelata ampliſſimè docet; *Ego*, inquit Deus ad Abrahamum, *protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Regius quoq́; Propheta clamat: *Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram. Item pars mea Deus in æternum.* Et rurſum, *Beatus populus cuius eſt Dominus Deus eius.* Omnium verò clariſſimè hoc Saluator noſter ore ſuo ſanctiſſimo pronunciauit, cùm dixit: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Et quoniam S. Patres, Eccleſiæq́; orthodoxæ Doctores, nil perinde atq́; hoc ipſum inculcatum hominibus volunt, non abs re erit, vnius & alterius proferre ſententiam. Iræneus vetuſtiſſimus author ait: *Gloria hominis eſt Deus.* Gregorius Nyſſenus: *Beatitudo eſt illa immortalis & incorrupta, ineffabile pariter, & inexcogitabile bonum.* Boetius Chriſtianus ille Philoſophus ait: *Beatitudinem in ſummo Deo ſitam eſſe neceſſe eſt.* Sed omniũ latiſſimè & diſertè admodum ac piè præter cæteros omnes, hanc ex ſcripturis indagauit & intenſa contemplatione percunctatus eſt, maximus amator Dei Diuus Auguſtinus, ex quo iuuat aliquot producere ſententias. *Vt vita carnis*, inquit, *Anima eſt, ita beata hominis vita Deus eſt.* Porrò, *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec reuertatur ad te.* Inſuper: *Beata vita hæc eſt, gaudere de te, & ad te, & propter te, hæc eſt, & non eſt altera.* Præterea: *Videre Deum*

Gen. 15.
Pſal. 72.
Pſal. 143.
Ioan. 17.
Lib. 3. c. 22.
lib. de beatitud. oratione 1.
Lib. 19. de ciuit. ca. 26.
Lib. 1. confeſ. cap. 1.
Lib. 1. confeſ. ca. 22.

Lib. de ſpi- *ſumma fœlicitas, ſumma iucunditas, beata & æterna vita eſt.*
ritu & ani- Deniq;: *Illa viſio Dei, qua contemplabimur incommutabilem,*
ma ca. 57. *& humanis oculis inuiſibilem Dei ſubſtantiam, quæ ſolis ſanctis*
Lib. 1. de Trin. capite *promittitur, quam dicit ſanctus Apoſtolus, facie ad faciem, & de qua*
vltimo. *ſanctus Ioannes; ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti*
1. Cor. 13. *eſt, & de qua dicitur: vnam petij à Domino, hanc requiram, vt*
Ioa. 3. *contempler delectationem Domini, & de qua Dominus ipſe dicit:*
Pſal. 26. *Ego diligam & oſtendam me ipſum illi, & propter quam ſolam fide corda mundamus, vt ſimus beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt, & ſi qua ſunt alia, de iſta viſione dicta, quæ copioſiſſimè ſparſa per omnes ſcripturas inuenit, quiſquis ad eam quærendam oculum amoris intendit: ſola eſt ſummum bonum noſtrum, cuius adipiſcendi cauſa percipimur agere, quidquid agimus.* Hanc noſtræ hæreditatis viſionem, quanti faciat, & quantopere
1. Cor. 2. extollat Paulus Apoſtolus, eius hæc verba oſtendunt: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.* Hoc voluit dicere, vidiſtine vnquam aliquem Regem multis imperitantem vrbibus, prouincijs, Regnis? multis circumfluentem opibus, diuitijs, theſauris? multis abundantem margaritis, gemmis, vnionibus? vidiſtine magnificentiſſimas ædes, fortiſſimas arces, ampliſſimas ciuitates, ornatiſſima palatia, amœniſſimos hortos, altiſſimas turres, Ægiptias illas pyramides? vidiſtine iucundiſſimos fontes, rapidiſſima flumina, latiſſima maria, mirabiles thermas, & alia naturæ miracula? vidiſtine quandoq; Leones, Tigrides, Vrſos, Elephantes, Rhinocerotes, Dracones, Strutiones, Aquilas, belluas marinas, aliaq; eiuſmodi orbis oſtenta? vidiſtine ſolem, lunam, ſtellas, ſydera, cœlos? vidiſtine hæc omnia? cogita tamen te vidiſſe tantùm, quæ oculus videre potuerit, at in cœlis longe præſtantiora beatos manere, quàm quæ oculus videre queat. Verum cùm plura auditu, quam viſu percipiantur, vlterius pergit Apoſtolus: *Nec auris audiuit:* Quaſi dicere velit, audiſtine

aliquando

aliquando de Monarchijs mundi præcipuis, Aſſiriorum, Perſarum, Medorum, Græcorum, Romanorum? audiſti ne de Regnis Francorum, Anglorum, Germanorum, Afrorum, Hiſpanorum, Scytharum, Vngarorum, Polonorum? audiſtine de victorijs, triumphisq́; Alexandri Magni, Iudæorum, Romanorum, aliorumq́; potentiſſimorum Principum, Regum, Populorum? in vnum omnia hæc congere, & quid ſunt, niſi inſtar puncti, ſi cum cœleſti gloria, quæ iuſtis eſt decreta, comparentur. Præterea cùm plura fingi, atq́; imaginatione concipi, quàm auditu hauriri queant, ſubiunxit Apoſtolus: *Nec in cor hominis aſcendit:* Imaginare tibi ingentia gaudia, & omnia quæq́; pulcherrima & iucundiſſima, finge aureos montes innumerabiles, cauernas gemmis refertiſſimas, multitudines hominum, piſcium, auium, quadrupedum innumerabiles, & ſi placet mundorum mille myriades, tamen his omnibus Deus præpotens excellentiora præparauit diligentibus ſe, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderũt. Sed quis poterit ſupernæ ciuitatis Ieruſalem amplitudinem, ſplendorem, gloriamquè animo comprehendere? Rectè itaq́; atq́; veriſſimè cum hiſce Diui Auguſtini verbis concludere poſſumus: *Quod Deus præparauit diligentibus ſe, fide non capitur, ſpe non attingitur, charitate non apprehenditur, deſideria & vota transgreditur, acquiri poteſt, æſtimari non poteſt.* Quæ cùm ita ſint, qui labores tam difficiles, moleſtiæ tam graues, pericula tam formidoloſa, negotia tam ardua nobis videri debeant, quæ non lubenti animo ob tam opulentam hæreditatem ſuſcipiamus? currit Mercator ad Indos, per mare, per terras profluxis, caducisq́; bonis, & nos theſauros illos cœleſtes in perpetuum duraturos negligemus? Oculi noſtri cœlum ſimul & terram non conſpiciunt, ſic Amor mundi quoq́; & Dei in vno corde pariter habitare non poſſunt. Res itaq́; mundi omnes nihili faciamus, ſordeſcant

Lib. 21. de ciuitate Dei.

Cyp. de abuſib.

ſcant

ſcant nobis humanæ pompæ, reſpuamus animo excelſo perſonatas ſæculi huius fœlicitates, mortiferos delitioſarum Syrenum cantus ſurda aure tranſeamus, feſtinemus ad patriam noſtram communem totis remis & velis, atq; ad immortalitatis gloriam anhelantes, ſic in huius vitæ curriculi ſtadio curramus, vt brauio non defraudemur, quin potius ex hac lachrimarum valle, luctuoſoq; exilij noſtri labyrintho ad cœlos migraturi, quilibet no-
2.Timo: 4. ſtrûm cum Diuo Paulo clamare queat: Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: propter quod repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi iuſtus Iudex.

QQ - 9.2595